



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones ab Alexandro VIII. Innocentio XII. & Clemente
XI. editas

Luxemburgi, 1739

VI. Constitutiones FF. B.M. de Mercede.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74715)

§. 8. Quodque Provisus intra duos menses post provisionem gradum in Sacra Theologia suscipiat, alias jus amittat in d. Cathedra, & procedatur pro alia provisione, quodque locus in Universitate, & functionibus ejusdem esse debeat juxta antiquitatem gradus sui Doctoratus.

§. 9. Item, quod Monachus teneatur legere ab hora nona usque ad decimam, quodque non possit legere nisi materias, quas assignaverint Consilium Universitatis, teneatur observare turnum, & præsidere in materia de qua legerit modo, & forma quibus solent ceteri Cathedralitici.

§. 10. Quod in eventum substitutionis possint Deputati alium Monachum substituere absque præsentatione Vicarii Generalis, & Abbatis durante impedimento Provisi.

§. 11. Quod omnes Monachi Collegæ Professores Theologiæ in Collegio S. Bernardi d. Civitatis studere teneantur apud Cathedraliticum dictæ Cathedræ de prima absque eo, quod sit necessarium, quod studeant apud Cathedraliticum de prima Sacræ Theologiæ, dictæ Universitatis, & apud dictam Cathedraliticam studere possint quindecim Scholastici Sæculares, & triginta remanere debeant pro Cathedra de prima Universitatis, quos nominabit Rector dictæ Universitatis.

§. 12. Quod Religio investire teneatur mille libras ad satisfactionem Deputatorum, seu aliam summam necessariam pro annuo reddito lib. 50. per Deputatos consignandarum Cathedralitico.

§. 13. Quod ultra dictas mille libras teneatur Congregatio tradere Deputatis duas libras, & sex solidos annuatim, & 46. sortis pro expensis propinarum, ac propriis expensis fabricare mansionem pro Cathedra, & Cathedraliticis obligatus sit solvere Deputati jura vacantis.

§. 14. Casu, quo Congregatio omittat concurrere ad dictam Civitatem, & Universitatem, Cathedra sit solum pro filiis Regii Monasterii, & si in eo non adsint Religiosi habiles, liceat Deputatis providere Cathedraliticam de idoneo extra Religionem, donec habilis existat Monachus filius d. Monasterii, quatenus juridice probetur, quod eadem Domus de Petra approbaverit, vel procuraverit resolutionem, quod nempe Congregatio non concurrat cum suo Collegio ad dictam Universitatem amittat in perpetuum Jus Cathedræ quod è converso amittant cæteræ Domus Congregationis non concurrentes cum Collegio.

§. 15. Eveniente casu, quod supra assignatum stipendium deperdat; & Monasterium de Petra non subroget alia bona, tali casu expiret hujusmodi fundatio.

§. 16. Demum quia Abbas Regii Monasterii S. Salvatoris de Legre, & Cathedraliticus Philosophiæ Regens Cathedraliticam Sacræ Scripturæ multum laboravit in fundatione d. Cathedræ, possint idcirco ad eam præsentari ex pacto &c. prout in dicta concordia plenius continetur.

§. 17. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, Charissimus in Christo Filius noster Carolus Hispaniarum Rex Catholicus transactionem, seu concordiam hujusmodi confirmaverit, & servari mandaverit, ipsi vero Exponentes, ut omnia in ea contenta in posterum adimpleantur, nec de illorum validitate unquam dubitari contingat, transactionem, seu Concordiam præfatam Apostolicæ confirmationis nostræ patrociniocommunicari plurimum desiderant: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benigntate Apostolica dignaremur.

§. 18. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causis si quibus quomodolibet innodata existunt ad

effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum consilio circumspeditioni tuæ per præsentem committimus, & mandamus, ut veris existentibus narratis, & postquam utriusque loco Pio transactionem seu concordiam hujusmodi expedire judicaveris, eandem transactionem, seu concordiam cum pactis, & conditionibus supra expressis, auctoritate nostra Apostolica pro tuo arbitrio, & prudentia gratis approbes, atque confirmes.

§. 19. Non obstantibus quatenus opus sit, fel. rec. Paul. II., & aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Monasterii, & Congregationis prælatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XIV. Novemb. MDCXCI. Pontificatus nostri Anno Primo.

Confirmantur Constitutiones Fratrum B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum.

Extant quadam Decreta Capituli Gen. Innoc. XI. Const. ed. 1687. Maji 15. P. 11. Et aliud Decretum hujus Pontificis Const. ed. 1693, Octob. 24. Pont. 1.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

EX injuncto nobis divinitus Apostolicæ servitutis muneri, illa quæ pro feliciter gubernandis, & salubriter dirigendis Religiosorum virorum vota sua Altissimo in sanctitate, & justitia assidue reddere satagentium, ac propriæ, alienæque non spiritali tantum, sed etiam corporali salutis studiosa charitate jugiter incumbendum Ordinibus in Ecclesia Dei pie sancteque institutis provide, prudenterque disposita, atque ordinata esse noscuntur, ut firma semper atque illibata persistant, Apostolici muniminis præsidio, cum id a nobis petitur, libenter roboramus, sicut ad Omnipotentis Dei gloriam, Religionis, & piorum operum incrementum, & felicem progressum, ac animarum salutem in Domino expedire arbitramur.

§. 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Martinus Salvator Gilaberti Vicarius, & in Romana Curia Procurator Generalis Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum in Sacra Theologia Magister, quod cum alias ad præscriptum cujusdam Ordinationis in postremo Capitulo Generali dicti Ordinis editæ pro felici, prosperoque ipsius Ordinis regimine, & gubernio nova Constitutionum ejusdem Ordinis coordinatio, seu compilatio facta fuerit, subinde Constitutiones hujusmodi sic coordinatæ, seu compilatæ ad fel. record. Alexandrum PP. VIII. prædecessorem nostrum transmissæ fuerint, ut suo, & hujus Sanctæ Sedis patrociniocommunicari, Ipse Alexander prædecessor eandem Constitutiones sibi exhibitas nonnullis ex Venerabilibus Fratribus nostris tunc suis S. R. E. Cardinalibus, quorum pietas, pru-

Committitur Confirmatio Apostolica Card. de Salazar.

Clausula.

VI.

Dat. 7. Dec. 1691. An. 1.

Exordium.

Iussu Capituli facta fuit præd. Compilatio, ad Alex. VIII. transmissa, & a nonnullis Cardin. ad examen revocata.

Concordia relata confirmata fuit a Rege Catholico.

Preces Congregationis.

dentia,

dentia, rerum usus, & Sacrorum Canonum peritia sibi longe perfecta erat, discutiendas commisit, qui Mandatis ejusdem Alexandri prædecessoris morem gerentes illas mature, diligenterque examinarunt, & nonnullis adjectis, aliisque ubi opus fuit, correctis, & emendatis, Constitutiones ipsas in unum Volumen redigi curarunt, tenoris, qui sequitur, videlicet.

Ubi, a quibus, & qua auctoritate confecta fuerit d. Compilatio.

§. 2. Noverint universi, quod cum die 15. Novembris anno Domini 1687. essent legitime vocati, & congregati in hoc Curia Matritensis Cænobio Regalis, ac militaris Ordinis Beatissimæ Virginis Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Religiosi viri ex prædicto Ordine destinati ad novam exequendam coordinationem, compilationem, texturamque Constitutionum ejusdem Ordinis stabilitam in septimo Decreto ejus Generalis Capituli in Conventu, & Civitate Optensi Regni Castellæ proxime celebrati die prima Junii anno superiori 1686. in quo videlicet sancitum fuit, ad præfatam novam, perfectioremque Constitutionum compilationem quædam specialis institueretur Congregatio Religiosorum ex primis, & præcipuis ejusdem Ordinis, quos in hunc modum ad prædictam Congregationem nominatim assumpsit, nimirum pro Aragoniæ, Galliæque Provinciis R. P. M. F. Josephum Linas totius dicti Ordinis Generalem Magistrum, Dominum Varoniarum de Algar, & Escales, & supremi Senatus Fidei Censorem, pro Castellæ Provincia, R. P. M. F. Josephum Gonzalez tunc temporis Provinciam ejusdem a Consiliis supremis Inquisitionis Senatus, Regisque Immaculatæ Conceptionis confessibus, & Academia Salamantina vespertinum moderatorem, pro Valentini Provincia R. P. M. F. Damianum Stephanum Diffinitorem Generalem ejusdem, pro Vandaliæ R. P. M. F. Marcum de Oños Exprovincialem, & Diffinitorem Generalem ejusdem Provincie Concionatorem Regium, ac præfati Summi Fidei Cætus Censorem, pro novæ Hispaniæ Provinciis R. P. M. F. Michaellem Mayers Exprovincialem, & Diffinitorem Generalem Castellaniæ Provincie Exvicarium Generalem ejusdem novæ Hispaniæ Provinciarum Regiumque Concionatorem, pro Peruanis Provinciis, & Italicæ R. P. M. F. Ferdinandum de Carbayal, & Ribera Exvicarium Generalem earundem Provinciarum Concionatorem Regium, ac in Urbe Generalem Procuratorem, in quorum insuper locum cum a præfato Capitulo concessa fuisset facultas prædicto Reverendissimo Generali, ut quolibet deficiente alios per se solum, & pro libito substitueret, & ipse virtute facultatis hujusmodi pro prædictis R. P. M. F. Josepho Gonzalez, & R. P. M. F. Ferdinando de Carbayal legitime postmodum impeditis ob assumptionem primi ad Episcopatum Mirobrigensem, & secundi ad Archiepiscopatum Insularum S. Dominici alios instituisset viros pro primo scilicet R. P. M. F. Petrum Garzia Provinciam Castellæ, & ejus fortasse loco si munere, vel alias impediretur, uti revera impeditus fuit, R. P. M. F. Hieronymum de Mendoza Diffinitorem Generalem, ejusdem Provincie, Regiumque Concionatorem, & pro secundo R. P. M. F. Jacobum Brisegno Provinciam Chilensem, qui tunc aderat in Regali Conventu Matritensi, cum in hoc inquam omnes prædicti vere essent legitime congregati, ut præmissum est in forma Diffinitorii Generalis, & prædictæ plenitudine potestatis utentes ad præfatam Constitutionum texturam sibi a Capitulo Generali concessa, denuoque roborata, & confirmata a Sanctissimo D. Nostro Innocentio XI. in ejusdem Bulla, quæ incipit *Militantis Ecclesiæ* sub datis Romæ apud S. Mariam majorem sub Annulo Piscatoris die 15. Maii anno Domini 1687., & sui Pontificatus undecimo, cumque

tam prædictus Magister Ordinis, quam tota præfata Congregatio in ejusdem secretarium me infra subscriptum F. Michaellem de Ulete præsentatum de numero ex dicta Castellæ Provincia legitime constituisent initium dederunt prædictæ Congregationis actibus, & sessionibus cum ea solemnitate, & invocatione Spiritus Sancti, quæ in nostri Ordinis generalibus Diffinitoriis de more præmittuntur. Et in illis quidem rebus omnibus serio consulto, & mature discussis prædictam Constitutionum compilationem ordinarunt in hanc quæ sequitur formam.

Incipiunt Constitutiones Fratrum Sacri, & Regalis Ordinis Beatissimæ Mariæ Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum.

PROÆMIUM.

Cum vera Religio sine legibus non subsistat, vix sacra nostra Redemptorum familia exitit Divinitus revelata ab Immaculata, & Beatissima Virgine Maria illius dignanter in sui honorem cælitus institutrice, & fundatrice piissima cum Gloriosus Pater noster S. Petrus Nolascus, quem, ex prædicta ipsius revelatione, & præcepto ejus structorem, fundatorem, & Patriarcham instituerat de illius statutis cepit sedulo cogitare, quæ, ut tam congrue, quam rei gravitas postulabat conderentur una cum inclyto Jacobo Primo Aragoniæ Rege, quem non secus eadem Revelatio effectorem, & Patronum ejus constituit elaboranda commisit illius sæculi in Ecclesiasticis Juribus sapientiori viro, tunc utriusque a sacris confessionibus Sancto scilicet Raymundo de Pegnafort, cui ut in ore trium flaret hoc verbum, utque opem pro constructione tanti operis ferret præfata revelatio utique innotuerat. Is autem manum adamussum imponens operi ex illorum auctoritate certas vivendi leges vitæ contemplativæ nostro Ordini, & Instituto accommodas efformavit, quas a singulari in Altissimo Redemptoris famulatu Parentis nostri pericia in formam Constitutionum concinne ordinatas ipse, ut primus Ordinis Magister, Fundator, & Legillator a sua Institutionis initio universis ejus fratribus præsentibus, & futuris, observandas proposuit, ac postea earum confirmationem sub Regula Sancti Augustini a Gregorio S. P. obtinuit anno Domini 1230. Pontificatus sui Tertio, & a nostra fundatione 12.

Hec quidem fuit prima nostri Ordinis legislatio, quæ in substantialibus non est hæcenus innovata, nam illæ primitivæ Constitutiones, quo ad substantialia statuta revera sunt istæ, quæ usque modo Ordo noster professus est; in accidentalibus tamen varia additamenta (rerum, & temporum varietate sic exigente) pro meliori ejus regimine receperunt S. Sedis Apostolicæ confirmatione munita primo scilicet per Gregorium X. anno Domini 1273. & sui Pontificatus 2. Deinde per Joannem XXII. an. D. 1327. & sui P. 11. per Martinum V. anno D. 1419. & sui Pontificatus 2. & anno D. 1420. & sui Pontificatus 3. Per Calistum III. anno D. 1457. & sui Pontificatus 3. Per Paulum II. anno D. 1469. & sui P. 6. Per Julium III. an. D. 1556., & sui P. 3. Per Gregorium XIII. anno D. 1576. & sui P. 4. Per Sixtum V. anno Domini 1589., & sui Pontificatus anno 4. Per Clem. VIII. anno Domini 1594. & sui Pontificatus 3. & anno Domini 1600. & sui Pontificatus 9. & anno Domini 1604. & sui Pontificatus 13. Per Paulum V. anno Domini 1607. & sui Pontificatus 3., & anno Domini 1614. & sui Pontificatus 10. & an. Domini 1616. & sui Pontificatus 12. Per Gregorium XV. anno Domini 1621. & sui Pontificatus 1. & anno Domini 1622. & sui Pontificatus 2. Per Urbanum VIII. anno Domini 1627. & sui Pontificatus 5. & anno Domini 1628. & sui Pontificatus 6. Per

Alexan-

Alexandrum VII. anno Domini 1662. & sui Pontificatus 8. ac denique per SS. D. N. Innocentium XI., qui simul cum robore suae Apostolicae confirmationis plenam nobis facultatem largitus est ad exequenda nostri Ordinis antiqua desideria eliminandi ab antea factis Constitutionum volumine omnes redundantiæ, diminutionis, omissionis, confusiois, incongruæque distributionis, defectus ex inconcinna dictorum statutorum adjectione intertextos, & ad auferendum, addendum, variandum, & exprimendum omne quod ad id, & ad majorem nostri Instituti observantiam promovendam visum fuerit nobis expedire ita suum Diploma Pontificium, quod incipit *Militantis Ecclesie* sub datis Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XV. Maii anno Domini 1687. & sui Pontificatus 11.

Hac ergo Apostolica auctoritate suffulti, nostrasque Sacras Constitutiones ab omni nevo vindicare cupientes, post accuratam, ac debitam rei tanti ponderis discussionem unanimi consensu primo decrevimus, quod ut in posterum omnis ambigendi locus erga antea facta statuta de medio tollatur solum ex eis vim Constitutionis habeant in futurum, quæ in octo sequentibus distinctionibus continentur; ad has enim integrum nostrarum Constitutionum corpus juxta propriam suarum partium descriptionem reducimus, ut sub una Regula, & professione viventes uniformi observantia regulari Deo famulemur. Faxit Deus, ut omnis eis labor impensus disciplinae, severitati, & in majori Ordinis bono proficiat.

DISTINCTIO PRIMA.

De Cultu Dei, & divinis laudibus.

Licet omnis Religio se totam in Dei cultum exhibeat, inde tamen sacratius in ejus honorem erigitur unde Divinis laudibus mancipatur. Noster autem Ordo non tantum ex debito Religionis hunc Dei cultum a limine assumpsit, sed ea maxime quod Redemptionis Institutum elicuit. Cum enim Moyses jussu Dei liberasset Populum, & in alteram Rubri crepidinem sustulisset, hanc Domini dignationem ejus laude conclusit, dum illud canticum exulit *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est.* Hinc nos igitur digne novo debito in Dei laudibus occupamur, & chori profitemur officium, & redemptionis misericordiam, quam misit Dominus Populo suo perpetua gratiarum actione decantemus, faciem ejus Psalmis, & Hymnis præoccupantes, ut quod dignatione incepit, miseratione promoveat.

C A P. I.

De Divino Officio.

1. Audito primo signo pro singulis horis, quibus septies die, nocteque ad Dominum convenimus præparantes se Fratres, & ante finem secundi omnes ad chorum accedant, quasi in odorem Domini humiliter, & devote currentes, ubi secundum horæ qualitatem, aut festi, Divinum officium reverenter compleant, quod Fratribus Clericis sacris nondum initiatis, si forsan choro aliquando non interfuerint, privatim perolvere præcipimus.

2. Quotidie Missa Conventualis in universis Ordinis domibus juxta ritum festivitatis decantetur, cui omnes adesse teneantur, qui ultro Clericorum aut laicorum frater ei non adstiterit privatam inviolabiliter audiat.

3. In Missa Conventuali præter communia, & particularia suffragia, quando ritus permiserit, dicatur oratio pro SS. D. N. Papa, pro felici statu Ecclesie, pro Rege, & pro captivis christianis, quam in privatis pariter dicendam injungimus.

4. Univerfim nostri Ordinis Sacerdotes modeste, & graviter Sacrum celebrent, atque ita suis manibus verbum vitæ contrectent, ut Sacramenti altitudo, Religionis pietas, & eorum fides elucescat.

5. Id tempus Sacris peragendis Sacerdos immoretur, quo nec audientibus prolixitate tædium ingerat, nec devotioni celeritate teporem inducat: Solemnibus videlicet moram solemnitati congruam, Privatis verò dimidiam horam ad minus impendat.

6. Ante celebrationem Sacerdos aliquandiu ad tanti Sacramenti celsitudinem traducat animum, propriamque vilitatem tota humilitate perpendat, sicque, & non aliter audeat de pane illo edere, & de calice bibere, quo sumpto simile sibi vacans per spatium temporis tanto Mysterio consentaneum debitas Authori gratias reddat.

7. Tam chori, quam Altaris officium nedum in essentialibus, verum in cæremoniis, ac Ritibus juxta Romanas Regulas omnimode celebretur, ubi autem illæ nihil præscripserint, Rubricæ nostri Ritualis observentur.

C A P U T II.

Quo tempore, & qualitate horæ singula persolvenda sint.

1. Ne autem horarum tempora, & modus incerta pro libito maneant, firmiter statuimus, ut Matutinae in toto nostro Ordine perpetuo, & inviolabiliter media nocte dicantur. Quo circa severissime Magistri Generalis, Provincialis, & Prælatorum localium conscientias oneramus, si eas ad aliud tempus transferant, vel transferri permittant nisi propter casum ita inevitabilem, ut plus cogere, quam indulgere videatur, qui si forte accidit a die Pentecostes inclusive, usque ad festum Sancti Augustini dicantur post completorium, reliquis verò temporibus, eodem simili casu occurrente, non nisi hora noctis Nona Matutinas cantari, vel recitari juxta festi diversitatem strictissime præcipimus. Quod si Prælati contrarium fecerit, suspensionem ab officio per sex menses incurrat; Provincialis autem, aut Visitator, qui eam non exequatur voce activa privetur in proximo Provinciali Capitulo.

2. Prima non longe a solis ortu dicatur, neque completorium ab ejusdem occasu. Tertia hora quasi decima, quam Missa Conventualis, & hanc sexta subsequatur. Nonam post prandium expleri præcipimus, nisi diebus a Romano Rituali præscriptis, & temporibus nostri Adventus, & Quadragesimæ, quibus (exceptis Dominicis) nona dicta reficimur. Vesperas denique extra quadragesimam hora secunda, vel tertia post meridiem juxta diversitatem temporis cæta omnino statione præfigimus. Has autem Horarum metas sic esse immobiles desideramus, ut eas Prælati minime prætermittant.

3. Ex horis hujusmodi Primam, Tertiam, Vesperas, & completorium quotidie modulabimur, reliquas autem recitari concedimus, exceptis Matutinis in Nocte Natalis Domini, in tribus Tenebrarum diebus majoris hebdomadæ, & festis Resurrectionis, Pentecostes, Revelationis Domine nostræ Beatissimæ Virginis Mariæ de Mercede, & S. P. nostri Petri Nolasci, in quibus solemnitatibus Matutinas integre cantari præcipimus, in cæteris verò utriusque classis adminis incipiuntur cum cantu usque ad primum Hymnum inclusive, & deinceps cantetur *Te Deum* cum laudibus usque ad finem demptis Psalmis, & Antiphonis earum. Kalendam quoque singulis diebus decantari statuimus. Si quam autem horam extra prædictas decantari sit in usu, consuetudinem non destituimus, sed laudamus, & progredi suademus in melius.

4. Modus recitandi, & modulandi horas canonicas sit jugiter devotus, & gravis cum pau-

sa, & silentio solemnitati consonis ita versum medietatem, & finem intercidentibus, ut nulla vocis protractio radio mentem afficiat, sed uniformitas definitiæ, & devotionem augeat, & perfectum vox pariter sit unisona: hanc autem omnes ea mentis attentione pro viribus semper eliciant, qua Divini officii pensum Deo gratius, & fructuosius sibi reddant.

CAPUT III.

De Oratione mentali.

1. Cum oratio mentalis sit totius vitæ Spiritualis fundamentum, & comes individua, qua duce de virtute in virtutem gradimur, donec perfectionis verticem conscendamus, universis nostri Ordinis fratribus stricte præcipimus, ut bis adminus in die mentaliter orent dimidiam saltem horam pro qualibet vice mane videlicet, & vespere illud Propheticum præferentes: *Anima mea desideravit te in nocte, sed & spiritu meo in precordiis meis de mane vigilabo ad te.*

2. In hoc ergo almo, & fructuoso exercitio per tritam Sanctorum viam Fratres incedant habita ratione uniuscujusque status, & indigentia, sed semper præ oculis habentes frequentiore causam cur multi in hoc itinere parum, nilve proficiunt esse indebitum modum ejus præparationem, inchoationem, exercitationem, & conclusionem conficiendi, quod orationis dispendium a nostris Fratribus relegare cupientes quædam monita pro dictis ejus partibus debite exercendis ab illis indeficienter observanda levi saltem manu attingere necessarium indicamus.

3. Quo circa præparationis utriusque discrimen animadvertentes non minori studio remotam quam proximam intendant. Quo ad primum enim (quæ utpote prævia dispositio ad fructum ex oratione percipiendum præmitti debet) prava opera, vana colloquia, mundanas cogitationes, inordinatos affectus, & cætera alia, quæ distractionibus fomentum præbent frequenti divinæ præsentia exercitio a se omnimodè avertant. Quo ad secundum autem accedente orationis tempore conscientia statim agnoscat bonum spirituale, quo magis indigeant prævideant, considerationes, & effectus ad illud assequendum efficaciores præveniant materiam iis magis idoneum aliquo lectionis genere præparent, totamque illius seriem ad id ipsum provide pro viribus referant, sicque, & non aliter ad orationis locum reverenter accedant.

4. Orationem inchoaturi signo Crucis Deum præsentem fide viva concipiant circa se existentem, vel intra se manentem per existentiam, præsentiam, & potentiam, & cordis sui intimos excessus penetrantem, opus quod faciunt agnoscentem, & ad ipsum adjuvantem: tunc Deum præsentem adorent, actum contritionis eliciant, & gratiam bene orandi ab eo postulent, ac demum ad purificationem intentionis cum debita resignatione transeant, qua se totos Dei voluntati committentes, nihil amplius quam ejus Divinum beneplacitum, uberioremque animæ profectum in hujusmodi exercitio intendere protestentur.

5. In exercitatione semper intellectus voluntati facem præferat, ut in meditatione exardeat ignis. Unde a materiæ præparatæ considerationibus incipientes omnes illius causas, effectus, & circumstantias modo discurrendo, modo ponderando percurrant, usque dum ad aliquem devotum affectum excitentur, tunc enim ita finent voluntatem opus suum exequi, ut quanto tempore affectus afficit animum, tanto in eo perseverent, minime interim solliciti, quod meditandum super sit extincta tamen affectione, vel tepescente ad aliam, vel alias affectus excitantes, vel discursivas, vel ponderativas considerationes redeant. In quibus actibus aures veluti circulo versentur,

ita ut omnia dirigantur ad opus & usui virtutum inserviant.

6. Jam orationi finem imposituri tribus actibus eam concludant; Primus sit gratiarum actio, quæ ex his, quæ meditati fuerint quodammodo oriatur, & maxime de omnibus, quæ in ipso rationis decursu a Divina benignitate susceperint, quibus tandem pro beneficiis generalibus creationis, Redemptionis, ac reliquis omnibus tam universali Ecclesiæ quam sibi præstitis grates superaddant. Secundus sit oblatio, qua æterno Patri merita Christi, & omnium Sanctorum, sequè ipsos cum illis, atque omnia sua opera cum perfecta resignatione in omne Dei beneplacitum offerant. Tertius denique sit petitio eorum, quæ ad æternam salutem pro se sunt necessaria, deinde pro universali statu totius Ecclesiæ, pro supremo illius Pastore, & Domino, universisque Prælati pro Regibus, & Principibus, pro Prælati, & Redemptoribus nostri Ordinis, ejusque Benefactoribus, conservatione, & augmento, & specialissime pro fidelibus captivis, qui in Saracenorum potestate detinentur, vel sunt in periculo abjurandæ fidei, & pro Fratrum, Captivorumque animabus in Purgatorio detentis adhibitis etiam B. Virginis, Angelorum, & Sanctorum intercessionibus.

7. Hanc autem orandi formam, sic mane, & vespere implebimus. Primo enim ante Primam cum jam Fratres in Choro convenerint, ibi ante omnia flexis genibus Spiritus Sancti gratiam suppliciter exorent dicentes Antiphonam: *Veni Sancte Spiritus &c. Sub tuum præsidium confugimus &c. &c. Emitte spiritum tuum &c. Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix &c. Salvos fac servos tuos &c. Domine exaudi &c. Dominus vobiscum &c. Oremus Deum, qui corda Fidelium &c. Deus virtutum, cujus est totum quod est optimum inferre peccatoribus amorem tui nominis, & præsta in nobis Religionis augmentum, ut quæ sunt bona nutrias, ac pietatis studio, quæ sunt nutrita custodias: Defende quæsumus Domine B. Maria semper Virgine intercedente istam ab omni adversitate familiam, & toto corde tibi prostratam ab hostium propitiis tuere clementer insidiis per Christum Dominum nostrum, Amen.* His dictis adminus per dimidiam horam in Oratione permaneant, quam similiter habeant post Completorium, & eadem deprecatione præveniant. In fine vero facti signo a Prælato Cantor incipiat Antiphonam: *Conceptio tua cum versu, & Oratione consuetis, prout in Rituali.*

8. Præfatis ergo temporibus teneantur omnes Fratres nullo excepto, nec etiam Magistro Generali ad Orationem Mentalem convenire, nisi propter grave impedimentum, & rationabilem causam, qua raro indulgendum appareat, qui autem interesse alibi quotidie etiam iteragentes bis in die mentaliter orent, & hanc institutionem observent pro temporis opportunitate, & loco secum illud Davidicum conferentes. *In omni loco dominationis ejus benedic anima mea Domino.*

CAPUT IV.

De Inclinationibus.

1. Inclinationes dicimus ea sensibilia signa, quibus Deum, vel ejus Sanctos, aut Sancta, seu etiam homines propter Deum reveremus, & colimus. Quinque in Ordine nostro secundum rerum, & honoris diversitatem exponimus, quas capitibus ad genua profundam genuflexionem, & prostrationem appellamus. Inclinationem Capitibus Sacris præcipue nominibus Jesu Domini nostri, & Beatissimæ Virginis Mariæ cum magna cordis humilitate debemus impendere. Tum etiam nominibus Sanctorum, de quibus in die proprio, aut sit memoria, aut officium Capitibus inclinationem reddimus: idem facimus, & in Hymno *Gloria in Excelsis Deo* -- ad eos versus--

Adoramus te, gratias agimus tibi, & suscipe deprecationem nostram, in simbolo ad verba -- Simul adoratur -- ad humiliate Capita vestra, & Orationem sequentem, ad benedictionem Sacerdotis in fine Missæ, & cum pacem, incensum, & aquam benedictam suscipimus; Prælati item transeuntibus, vel cum ad eos accedimus, aut recedimus Capita reverenter subjicimus. Tandem cum in Refectorio aliqua Nobis per Hebdomadam obedientia subjungitur, caput licet opertum similiter inclinamus.

2. Corpus usque ad genua dimittimus; quoties Chorum ingredimur, vel egredimur, conversi ad Fratres vultu, quasi per Salutationis Officium. Ad omnes horas Officii parvi Beatissimæ Virginis Mariæ, cum ejus Orationem Angelicam præmittimus pro singulis, & ad eas Orationes, quibus finiuntur, vel sit commemoratio in Missa, aut officio, necnon etiam quoties occurrerit *Gloria Patri* similiter inclinabimur. In officio autem majori excipitur primum *Gloria Patri*, in quo pro singulis horis profunda utimur inclinatione. In postremis Hymnorum versibus, & ad illos: *Sit Nomen Domini Benedictum, & Benedicamus Patrem, & Filium*, simulque ad eam Præfationis clausulam *Beata Maria, & te in Veneratione &c.* necnon in Prima cum dicimus *Santha Maria, & omnes Sancti &c.* hac ipsa Corporis deflexione curvabimur, quam etiam cum sedemus sine erectione committimus.

3. Profunde quidem inclinamur ad Orationes Dominicam, & Angelicam, & Credo, quas singulis respective horis præmittimus in silentio, & quibus Officium, & Completorium tempore Paschali, diebusque Dominicis concludimus eadem inclinatione devolvimur ad primum *Gloria Patri* in officio majori, ut prædiximus, & omnes ejus horarum Orationes, & primam dumtaxat in Vesperis, & officio Missæ ad Collectam pro Ecclesia, & quam Prælati indixerit pro necessitate communi ad omnes preces, & Confessionem, dum eas non genuflexi recitamus, & in Refectorio ad Orationem *Retribuere &c.*

4. Genuflexiones autem uno, vel bino genu in sequentibus exercemus. Primo ad ingressum, vel regressum a Choro, cum SSimum Sacramentum adoramus ad preces, & Orationes Missæ, & Officii tempore Adventus, & Quadragesimæ, quatuor temporibus, & vigiliis usque ad *Benedicamus Domino*, præterquam in diebus, quos excipit Cæremionale nostrum, ad Preces, & Orationes Officii Defunctorum, ad versus *Tantum ergo, o Salutaris Hostia*, si Sacramentum sine velamine pateat, vel Processionaliter deferatur, in Hymno *Vexilla Regis*, ad versus: *o Crux*, ad illos etiam *Ave Maris Stella, Veni Creator Spiritus, Veni Sancte Spiritus*. In Psalmo Invitatorii ad verba, *Et proci damus ante Deum*, in Hymno *Te Deum* ad versus *Te ergo quæsumus* in verbis etiam *In nomine Jesu omne genu &c.* nisi hæc sint in introitu Missæ, ad illa insuper *Christus factus est pro Nobis &c.* & in toto Psalmo *Miserere*, & Oratione *Respice quæsumus*, qua concluditur in triduo majoris Hebdomadæ, in processibus Litaniarum ab initio earum, usque ad verba *S. Maria*, si autem non fiat processio in tota Litania genufleximus, ut in Sabbato Sancto, & Vigilia Pentecostes.

5. Genuflexione item utimur in Psalmis Penitentialibus, & precibus Gradualium in fine Lectionum ad *Tu autem Domine* in Antiphonis B. Mariæ, quibus hora, vel Officium concluditur, nisi Paschali tempore, & diebus Dominicis, in Kalenda Nativitatis Domini ad ea verba in *Belehem Juda* &c. usque ad *secundum carnem* inclusive.

6. Cum prope Altare Sacramenti gradum facimus si lateat, uno genu, utroque vero si pateat humiliter genufleximus. Crux etiam, quæ per medios Fratrum Choros transferit genuflexione adoratur. Sicut, & feria quinta post in clusum in Urna Sacramentum usque ad mane

Sabbati Sancti eundem ei reddimus honorem.

7. Genufleximus insuper ad hæc omnia Evangeliorum verba -- *Et proci dentes adoraverunt eum. Verbum caro factum est, Et proci dens adoravit eum, Jesus autem exclamans &c. Jesus autem emissa voce &c. Et hæc dicens expiravit, Et inclinato capite &c.* Et in adoratione Crucis feria sexta majoris hebdomadæ ad ea verba: *Venite adoremus: ad illa etiam Symboli: Et Incarnatus est: ad Flellamus genua: & ad versus: Adjuro nos in Missa dicto: Sanctus: usque ad elevatum, & depositum Calicem præterquam in feriis Adventus, Quadragesimæ, quatuor temporum, vigiliis, & Missa Defunctorum in quibus genuflexionem trahimus usque ad verba: Pax Domini* inclusive, a quibus tamen excipimus Vigiliis Nativitatis, Ascensionis, & Pentecostes, & ferias temporum ejusdem Paschæ.

8. Cum Subditus aliquid recipit a Prælato genuflexus osculatur manum ejus, vel Scapularium dicens: *Benedictus Deus in Donis suis: item* quando benedictionem ab eo suscipit ad iter agendum, vel ad illum ex eo revertitur suscipiens habitum, etiam genua flexit coram Prælato toto tempore, quo ei Sermonem instituit, quod, & servat ad trinam repetitionem versus: *Suscipe me Domine &c.*, & ad Lectionem Professionis, sic etiam silitur &c. Communicatus coram absolvente se, & qui in pane, & aqua in medio Refectorii abstinere præcipitur. Culparum Confessionem in Capitulo hac humiliatione incipimus dicentes *Pater veniam peto*. Generalis autem, & Provincialis in primo accessu ad Domos benedictionem itinerantium ita pariter humilitati suscipiunt, sicut & reliqui Fratres, sic etiam cereos, & Ramos die Purificationis, & Palmarum, cumque cinere aspergimur, & tandem ad versus: *Clementissime Deus* in Sepultura Fratrum.

9. Demum Fratres nostri prostratione succumbunt, cum aliquid canendo, aut legendo in Choro erraverint, & tandiu ita permaneant, donec ad surgendum a Prælato signum accipiant, qui tamen si eis aliquam obedientiam, aut Officium injunxerit prostratione suscipiant. In Refectorio si in ministerio Fratrum offenderint labem prostratione vindicent, quam omnes servitores cum Lectore iterum in fine faciant pro universis defectibus ministrando, aut legendo commissis, si quis alium scandalizaverit tanto temporis spatio ante ipsum prostratus occumbat, usque dum susciteretur ab ipso, suscipiens Professionem, aut habitum postquam eo indutus fuerit similiter proci dat, donec Orationes super eum dicendæ finiuntur. Post electionem Magistri Generalis, aut Provincialis, dum super utrumque in Ecclesia Orationes, & benedictiones effundimus ipsi eas prostrati suscipiunt: quibus etiam ad Domos nostras primo accedentibus in eorum benedictione itinerantium universi Fratres prostrarentur ad Psalmum *Ad te levavi*, & reliquas Orationes. Tandem & ad Confessionem, dum in Capitulis absolvimur, & ad Psalmum *Miserere* in fine Sepultura Fratrum.

CAPUT V.

De Officiis, quibus Beatissimam Virginem Mariam prosequimur.

1. Et si totos ad pedes Beatissimæ Virginis Mariæ Matris, & Fundatricis nostræ nos devotio provolvit, nihil tamen æquum, aut dignum ejus erga nostrum Ordinem beneficiis reputamus: ceterum ei rependere quantum pro nostro modulo postumus desiderantes primo constituimus, ut diebus ferialibus, vigiliis, & festis simplicibus quibus etiam Ecclesiæ officium parvum B. Mariæ recitandum instituitur illud juxta Romanorum Ritum ab omnibus in Choro speciali devotione compleatur, reliquis autem diebus per annum præter triduum majoris hebdomadæ simi-

liter in Choro ante, vel post horas Canonicas recitari constituitur a Fratribus Clericis, & Novitiis cum assistentia sui Magistri, quibus etsi totam Communitatem non jubeamus adungi, nomen tamen univ[er]sos in Domino, ut vel se illis immisceant, aut saltem privatim hoc pensum singulis diebus Dominae nostrae perfolvatur.

2. Sabbato autem cujuscumque hebdomadae (exceptis festis duplicibus primae, ac secundae Classis) secundum antiquam Ordinis consuetudinem post primam inviolabiliter Missa de Beata Virgine, juxta Romanum Ritum in omnibus Conventibus solemniter celebretur, ad quam stricte vocamus univ[er]sos Fratres, cujuscumque sint qualitatis, ne Magistro quidem Generali excepto. Eodem die pariter omnes Fratres post completorium, ad Ecclesiam processionaliter accedant Cruce cum Acolythis praecedente, & sequente Sacerdote cum Pluviali albo, ibique Antiphonam *Salve Regina* coram B. Maria Virgine concinant, qua finita, incipiant Cantores Antiphonam *Conceptio tua*, & eam continuante Choro eodem ordine procedatur ad specialem Capellam ejusdem Beatae Mariae, ibique cum versu, & oratione juxta antiquam Ordinis Constitutionem concludatur. Quod si ad Processionem istam locus apte non suppetat, inibi consistentes Fratres eandem Antiphonam proficiantur, & finiant.

3. Singulis mensibus opportuniori Dominica fiat in omnibus Conventibus Ordinis processio Scapularii ad Vesperam, in qua Imago B. Mariae Virginis deferatur in memoriam revelationis ejusdem, qua Ordinem nostrum instituit, quibus diebus si habeatur concio omnes Indulgentiae Scapulario, & huic diei concessae fideliter exponantur.

4. Ad festum praeterea B. Mariae Virginis de Mercede sub primam Augusti Dominicam constitutam praeter solemnitate rituale, habeatur insuper concio, & processio, & quaecumque alia solemnitas juxta facultatem Conventus.

5. Adhuc ad ejusdem honorem statuimus, ut juxta pristinam Ordinis Constitutionem nulla construatur Ecclesia, quae si fieri possit ejus nomini non consecratur, & in ipsa pro titulare habeatur, alioquin autem Capellam saltem specialem sub ejus titulo, & nomine stricte praecipimus erigendam.

6. Et sicut Fratres ipsam Beatissimam Virginem alte suis cordibus debere esse infixam, eique dicatum totum Ordinem, & ab ipsa suum in honorem erectum institutum, & ordinatum, ut sigilla majora tam Ordinis, quam Provinciarum Beatae Virginis Mariae Imaginem pro stemmate contineant secundum festivitates illius, ita ut quam Provincia jam habeat, vel posthac virtute praesentis Constitutionis intra latius ordinandae denuo suscipiat, illam quoque, & propriam sibi Patronam reveretur, & celebret. Quod si dicta festivitas Provinciarum, & sigillorum numero non sufficiant, aliquis de Sanctis nostri Ordinis sub eodem cultu, & celebritate assumatur.

7. Denique statuimus, ut universi Fratres Imaginem Beatae Virginis Mariae semper in Cellis habeant, quam ad ingressum, & egressum ore, corde, & inclinatione saluent. Quod similiter faciant ubicumque per claustra, & Conventum illis occurrat, sic enim servulos, & filios decet, quinimo jure cogimur tam egregiae Dominae, & Matris piissimae umbram colere, cujus dignanter umbraculo refovemur.

CAPUT VI.

De horis Fratrum Laicorum.

1. Ne autem Fratres Laicos, dum eos vitae activae subijcimus a contemplativa quoque profectibus repellamus, ipsos eisdem temporibus, quibus ante

Primam, & post Completorium ad mentalem Orationem communiter convenimus, inviolabiliter quoque ad eam accedere constituitur.

2. Caeterum, ut fructus horarum canonicarum quas sacris initiati, & Clerici Deo diebus singulis impendimus non sit omnino alienus a laicis pro suo modulo ab ipsis pariter implendos salubriter ordinamus. Martinas igitur incipiant dicendo *Pater noster, Ave Maria, & Credo*, deinde *Domine labia mea &c. Deus in adjutorium &c. Gloria Patri &c.*, & pro Nocturnis, & laudibus quindecim orationes Dominicis, & totidem recitent Salutationes Angelicas. Et tandem pro conclusione dicant *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison, Pater noster*, in cuius fine adjiciant *Per Dominum nostrum &c. Benedicamus Domino &c.* Reliquas autem horas inchoent per *Pater Noster, Ave Maria* supradicto in Prima Credo, & *Deus in Adjutorium &c.* & uti supra finiant, pro singulis vero decies orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam devota meditatione perfolvant. In fine completorii praeter propriam terminationem illius totum suum officium concludant dicentes *Pater Noster, Ave Maria, & Credo*, ad similitudinem Clericorum.

3. Haec quidem omnia officio tantum majori congruere intelligimus, ut autem, & minori, seu parvo Beatae Mariae laicorum etiam oratio respondeat eisdem districtae praecipimus, ut singulis diebus Rosarium Beatae Mariae recitent quinquies nempe decadas Salutationum Angelicarum, quas incipiant ab Oratione Dominica. Totum autem illud ita ritualiter inchoabunt, & finient, sicuti Martinas majores, & aliquam officii formam, ritumque contineant.

4. Denique nostri Ordinis utriusque sexus Tertiarios, si claustraliter vivant adhuc omnia esse penitus obligatos similiter constituitur.

CAPUT VII.

De frequentia Sacramentorum.

1. Qui vitam spiritualem eligimus, & in perfectionis Monte Sacra esurire Paschata profitemur ad eam praecipue convenit aspirare pinguedinem, & spirituales alimoniam, quam mentes nostras Sacramenta reficiunt. Quo circa universis nostri Ordinis Presbyteris hortamur, ut singulis diebus sacrum celebrent, nisi aegra valetudo, aut urgentissima, vel Praelato nota causa praepediat, qui autem celebrationem crebro praetermittere inventus fuerit, praevia monitione poena reclusionis integrum mensem a Praelato puniatur.

2. Fratres vero non Presbyteri tam Clerici quam Laici, & nostri Ordinis Tertiarii utriusque sexus claustraliter viventes praemissa humiliter sacramentali confessione, atque aliis pietatis exercitiis (per quae communem ad minus disciplinam in Novitiis intelligimus, & privatam laicis) ad Sacram Eucharistiam communiter accedant singulis diebus Dominicis proxime, non occurrente ante, vel post illas aliqua ex supra scriptis solemnitatibus, in quibus Sacram etiam Communionem illis omnibus sumere praecipimus, festis scilicet Domini Nostri Jesu Christi, & Beatissimae Matris ejus fundatricis nostrae, etiamsi non sint de praeepto, utroque festo S. Michaelis Archangeli, S. Joannis Baptistae, SS. Apostolorum, & Evangelistarum, SS. Joseph, atque Parentis nostri D. Petri Nolasco, & reliquorum Sanctorum Ordinis, ejusque festivitatibus, die insuper omnium Sanctorum tam Ecclesiae, quam Ordinis, ac denique diebus omnibus, quibus absolutionem habemus ad Populum. Hujusmodi autem Communiones omnes non Presbyteri cum Novitiis, & Lai-

cis in Conventibus nostris communiter suscipiant.

CAPUT VIII.

De Ecclesia, ejusque sanctitudine, & cultu.

1. Quoniam Domus Domini, Domus orationis vocatur, eamque idcirco deceat sanctitudo, enixe super hoc ministerii ejus invigilare precipimus, ne colloquia habeantur in illa, præsertim temporibus celebrationis Officiorum. Visitationes vero feminarum, & alloquia politica quantumvis necessaria, & honesta, etiam ad vesperam prohibemus in Ecclesia, nisi cum expressa licentia Prælati. Quando autem cum facultate prædicta ita fieri decenter expedit, totis tamen viribus interdiximus ne in locis confessionibus designatis hujusmodi misceantur alloquia, ne tam sancta, sed illa etiam decedentibus erubescant.

2. Denunciamus autem universis Fratribus, quod juxta Decretum SS. D. N. Innocentii XI. nunquam in Ecclesia, aut ejus Capellis, Sacrificia, vel Clausuris cibum, aut potum sæcularibus quovis urgente prætextu, aut personæ celsitudine deferant, nec quomodolibet deferri permittant.

3. Quia vero Sacramentum Pœnitentiæ, & suscipientibus ad veniam, & illud recusantibus ad ædificationem, & exemplum interdum profiteri agnoscimus, nolumus, ut loca pro eo designata sint in Ecclesiis latibulis, sed palam ubi peccatores provocent, & alliciant. Quo circa nostri Ordinis Confessoribus strictissime prohibemus, ne qualibet præsertim feminas ad hoc Sacramentum per angulos Ecclesiæ, aut devia loca suscipiant.

4. Quantum ad Ecclesiæ cultum sit maxime Sacrificia sollicitus, ut debito ornatu, & honestate perfulgeat, eam, & Capellas frequenter everri faciat. Altaria singulis diebus mudentur a pulvere. Ornamenta omnia non incomposita, sed quasi Deo Sacra pie, & devote contrectet linea non minus sordere pariat, sed crebris juxta usum lotionibus niteant, & corporalia permaxime universa quidem si sint lacera refarcienda curet, neque omnino dirumpi permittat.

5. Quo circa universis Commendatoribus precipimus sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ, ut in fine triennii ornamenta Sacrificiæ novo semper augmento ampliata dimittant: incrementum vero sub fide depositariorum Capitulo Provinciali cum reliquis rationibus Conventus exhibeant: Lucernam ante Venerabile Sacramentum sic Sacrificia perenniter ardere satagat, ut si ejus extinguatur incuria, gravis culpæ pœnam incurrat.

6. Renovatio Sacramenti verno tempore per omnes hebdomadas privatim, aut solemniter celebretur juxta consuetudines Conventuum, hiemali verò ultra duas hebdomadas protrahi non liceat.

7. Oleum Sanctum singulis annis suo quoque tempore renovetur, & vas, in quo reponitur decenti sit materia & arte dolatum; Ea vero omnia in quibus venerabile Christi Corpus asservatur qua parte saltem, aut concavitate tangitur, sint argentea, & deaurata intrinsecus, sicut & de Calicibus ordinat Rituale; Sacraria autem ubi ponitur Sacramentum corporalibus, & Ara consecrata rite, & decenter esse instructa precipimus.

8. Quæ omnia, ut observatione vigeant universis Commendatoribus injungimus, ut præter communes visitationes Prælatorum Superiorum, ipsi ter in anno visitent solemniter Sacraria, & universa vasa Sacramentalia, eorumque loca, atque Sanctorum reliquias, eaque omnia recenscant, qua munditia, qua reverentia, & qua hujusmodi nostrorum statutorum obtemperacione consistant, quæ ornamenta sint lacera, quæ deficiant, & ea refici, vel innovari faciant. Has autem visitationes perpetuo fieri constituimus sub prima die mensis Januarii, Maji, & Septembris nulla Ecclesiæ, vel Ordinis solennitate impedita.

Bullarii Rom. Contin. Pars VI.

9. Juxta pristinam Ordinis consuetudinem, & statuta plura Cymbala in Ecclesiis nostris possumus constituere, ut sit discrimen aliquod inter primum, & secundum signum quibus ad Chorum; vel Ecclesiam ducimur.

CAPUT IX.

De obitu, & Sepultura Fratrum.

1. Dum Frater Infirmus jam mortis discrimen contrahit, provideat illi Commendator, ut de Sacramentis nondum susceptis juxta inferius cap. 13. dist. 1. ordinanda, & de duobus Fratribus, spiritu, & doctrina præditis, qui ei perpetuo adhæreant, & adjuvent usque ad obitum; qui si diuturna mortis instantia vexentur, poterunt alternare laborem.

2. Postremum ægroto agonem ineunte per totum Conventum pulsetur crepitaculum, & omnes Fratres ad ejus Cellam conveniant, ubi commendatione animæ cum devotione peracta, canteur totius Symbolum Fidei quousque animam exhalaverit.

3. Cum jam autem fuerit vita defunctus canteur responsum: *Subvenite Sancti Dei*, & statim postea induatur Regularibus indumentis, sicut alii Fratres, nisi prius opus sit cum lavacro tergere. Et sic habitu, & pallio jam induto, manus coaptentur ante pectus alba viâ devinctæ, & Cruce affixa pollicibus. Deinde ducendus est opportuno tempore ad Capitulum, vel Sacrificiam, aut alium commodum, & assuetum locum ubi strato super terram panno decente aptabitur hinc inde usque ad horam Sepulturæ, ardentibus cereis, & vase cum aqua benedicta ad pedes appositum. Hinc autem, & ubicumque post obitum quousque sepeliatur, extiterit, semper ei Fratres Clerici, seu Presbyteri a Prælato designati adhæreant, & Psalterium cum devotione recitent, ac debitum reddant pietatis officium.

4. Accedente tempore quo deferendus sit ad Ecclesiam, ut eo præsentem Missa celebretur, vel ad locum, ubi sit Sepultura tradendus omnes Fratres sine exceptione conveniant, ibique suffragia a Rituali nostro præfixa persolvant.

5. Diligentissime etiam, & pro viribus curent Prælati Ordinis, ut ubicumque Frater noster extra claustra obire contigerit, si possibile sit ad aliquam nostri Ordinis Ecclesiam deferatur, ubi prædictam ei reddamus pietatem, ut quos dilectio copulavit in vita, etiam in morte non separet, alioquin autem si difficile appareat in Parochia, seu viciniore Monasterio quasi sub deposito sepeliatur.

6. Si vero (quod Deus avertat) Frater aliquis proprietarius decesserit, vel alteri crimini obnoxius, cui Sacri Canones Ecclesiasticam denegent sepulturam, is humetur in Agro, forma, & casibus inferius Dist. 5. cap. 8. ordinandis.

7. Commendatoribus denique precipimus sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ, ut pro defunctis Fratribus librum habeant in suis Conventibus, in quo omnium illorum nomina, annus pariter, mensis, & dies obitus diligentissime notentur, insuper, & sub quo Generali, Provinciali, & Commendatore decesserint, & si fieri possit, qua die professi fuerint. Quod si vitæ laudabilis extiterint, aut aliunde quoque viri eminentes, & posteritati commendabiles omnia ibi fideliter conscribant, ut facile de hoc plene possint historia nostræ, & Patrum exempla reduci. Hunc autem librum visitationi absque ullo penitus diffugio subjicimus.

CAPUT X.

De Suffragiis mortuorum.

1. Quam primum decesserint Fratres nostri, etiamsi sint Novitii, Commendator ejus Domus,

ubi quisque obierit Provincialem, aut Vicarium Provincialem, & omnes Commendatores Provinciae sub pena suspensionis ab officio per sex menses de illius obitu admoneat, quem nihilominus Provincialis, aut Vicarius Provincialis confestim ut admonitus universis suae ditionis Conventibus renuntiet, ne defectu notitiae ulla sit mora in suffragiis.

2. Pro quolibet Fratre defuncto domus illa, cui Conventualis erat designatus sine intermissione aliqua per tres dies Missa Defunctorum juxta Rituale Romanum solemniter celebretur, quae singulis diebus cum responso in Ecclesia concludatur, iis etiam distribuatur integrum officium Defunctorum sub ritu duplici sicut in die depositionis Defuncti, cui cantus adhibeatur prout fuerit in Conventibus assuetum, per novem item dies a decessu continuos finito prandio, & pulsatis interea cymbalis responsum decantetur a Fratribus.

3. Quod attinet ad singulos Fratres Domus, ubi decesserit tres Missas pro Conventuali Presbyteris constituimus, Clericis vero, & Novitiis non impeditis Psalterium integrum in Choro, vel Oratorio Novitiatum cum assistentia sui Magistri, impediti vero extra chorum, id compleant, quod quidem commutari stricte prohibemus, Conversis autem, ac Tertiariis utriusque sexus integrum Rosarium B. Mariae praescribimus: quibus ulterius addimus, ut per tres dies a decessu, ejusque notitia Indulgentias a Paulo V. Regularibus suas Ecclesias visitantibus, in eisque devote orantibus concessas lucrari, & pro dictis Fratribus applicare contendant.

4. Haec eadem suffragia per totum Ordinem pro Magistris Generalibus, qui in officio, vel eo functo decesserint pariter, & pro socio, & Secretario Generali in munere obeuntibus, etiamque pro Diffinitoribus, aut Rectoribus generalibus morte in via ad Capitulum Generale perventis fieri constituimus.

5. Ad haec ipsa quolibet Provincia tenebitur pro iis, qui sunt, aut fuerint Provinciales, atque pro actuali Visitatore in illis respective domibus suae visitationi concreditis. Ceterum pro Fratribus non Conventualibus, etiam Novitiis singulae Domus Provinciae teneantur ad unam Missam solemnem, & vigiliam Defunctorum cum responso ad finem. Singulos autem earumdem Domorum Presbyteros ad unam missam privatam adstringimus, Clericos vero ad septem Psalmos Poenitentiales, Conversosque, & Tertiarios, ad tertiam partem Rosarii, & utriusque praeterea praedictam Ecclesiae nostrae visitationem, ut superius injungimus. Fratribus item ex Ordine nostro ad Episcopalem, Archiepiscopalem, aut aliam quamlibet dignitatem ecclesiae eadem adhibeantur suffragia, quae vi Constitutionis in Ordine decedentibus persolventur.

6. Singulis mensibus prima scilicet die illorum festo novem lectionum non impedita, fiat officium pro Defunctis cum Vesperis, Nocturno, & Laudibus juxta Rituale Romanum, pro quibus ulterius Missam, & Anniversarium superaddimus de cetero perpetuo, & solemniter per totum Ordinem celebranda.

7. Insuper prima die similiter non impedita, quae Sanctorum nostri festum subsequitur fiat in toto Ordine solemnis commemoratio omnium Defunctorum Fratrum, Sororum, & Benefactorum illius ad instar illius solemnitatis, qua omnium fidelium Defunctorum memoria secunda Novembris ab universa Ecclesia recolitur, quae quidem suffragia, Missas, atque omnia pietatis officia, quae Domino hac die totus Ordo dicaverit pro Defunctis praefatis perpetuo esse applicata constituimus.

8. Similiter sancimus, ut quam primum SS. D. N. Papae obitus innocuerit, vel Catholi-

corum Regum Nostri Sacri Ordinis Patronorum, fiant pro illis solemnes exequiae cum Missa, & officio duplici Defunctorum, ita ut omnia totius Ordinis bona opera, & Sacrificia, quae in praedicto Exequiarum die ab universis Fratribus peragantur, pro ipsis etiam perpetuo censeantur applicata, quam pariter pietatem, & gratitudinis officium erga Eminentissimum Cardinalem nostrum Ordinis Protectorem eadem firmitate stabilimus.

9. Singulis quoque annis juxta pristinam Ordinis consuetudinem die 23. Julii inclityi Aragoniae Regis Jacobi primi Patroni, & Fundatoris nostri piissimi memoriam superius solemniter celebrabimus: cui ejusque Successoribus Defunctis cuncta hujus diei bona opera per ordinem adhibemus.

10. Ulterius singulis annis praeter suffragia praedicta quatuor Anniversaria solemnia cum Missa, & officio duplici in nostro Ordine fiant. Primum tertia die post Purificationem B. Mariae pro animabus Parentum nostrorum. Secundum prima die post octavam Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli pro sepultis in Ecclesiis, & Coemeteriis nostris. Tertium prima die post octavam S. P. N. Augustini pro familiaribus & Benefactoribus nostris, & quartum prima die post festum S. Dionysii pro animabus Fidelium Captivorum in Captivitate fideliter obeuntium.

11. Qualibet feria secunda (extra tempus Paschale) canetur post Primam Missa quotidiana Defunctorum, eaque finita fiat processio, in qua cantentur sex responsoria pro ipsis secundum antiquam Ordinis consuetudinem. Quod si praedictam Missam ritus festi solemnis primae, vel secundae classis impediatur in feriam tertiam, vel quartam, & non longius transferatur.

12. Ut autem nostris defunctis Fratribus perpetuo censum aliquem rependamus firma pietate decernimus, ut singulis annis in omnibus Conventibus Ordinis pro ipsorum animabus certus Missarum numerus ex privatis applicetur, nimirum, in Majoribus Conventibus centum, in mediis quinquaginta, & viginti in infimis. Clerici autem, & Conversi Fratres fructum Communionum, & bonorum operum Adventus, & Quadragesimae ipsis pia largitione disperiant: illi praeterea semel in mense unam vigiliam Defunctorum, illi vero tertiam Rosarii partem recitent. Quae omnia sic inviolabiliter omnes respective impleant, ut nullo unquam diffugio, vel indulgentia praetereant.

13. Tam communiter, quam privatim Conventus, aut Fratres nostri nullum Missarum numerum accipiant, nisi quam commode, vel licite adimplere valeant; neque insuper Conventus nostri propter elemosynam de praesenti se adstringant in perpetuum ad aliquem numerum Missarum tam solemnum, quam privatarum, nisi interveniat licentia Provincialis in scriptis, & annualis census pro illis sic juxta consuetudinem aequalis, & quantum fieri possit nulla fraude, vel eventu fallibilis: Commendator autem qui secus fecerit privationis officii poenae subiaceat, etiam poenis contentis in Constitutione 45. Urbani VIII. de celebratione Missarum.

14. Diligenter omnes Praelati seu Commendatores invigilent, ut omnium Defunctorum Fratrum nomina publicis schedulis, seu Tabellis in Choro, vel Sacristia sint inscripta cum annotatione diei, mensis, & anni, & Conventus ubi decesserint, quae quidem Tabellae per singula Triennia renoventur, quas Visitatorum Judicio subjicimus, ut per eas Suffragiorum pro Fratribus celebratio qualiter sit impleta non lateat.

DISTINCTIO SECUNDA.

De Redemptione Captivorum.

Iis genus electum, & Regale Sacerdotium instruximus, quae ad Sacrificandum Deo Ho-

fiam

stiam laudis Religionis jure postulantur. Est autem Reliquum, ut huic Ordinis Tabernaculo ad exemplar, quod in Monte revelationis monstratum est confirmato legis tabulas omni studio, curaque dolatas reponamus. Et cum principalis Institutum principalem locum sibi vindicet recta ideo intentionis serie primas de Redemptione leges incidemus.

CAPUT I.

De potestate Magistri Generalis super exercitio Redemptionis.

1. Redemptionis Institutum in Ordine est quaedam cura, & tutoris officium universis ejus Fratribus a Beatissima Maria commissum his verbis -- *Quibus precipua sit cura captivos ab Infidelium tyrannide liberandi.* Unde caelesti jure, & potestate collata a purissima Fundatrice nostra hanc Redemptionis curam totus Ordo prosequitur.

2. Et licet singuli Fratres ex Instituto visceribus, & Almae Virginis praecepto ad illius actus voto strictissimo teneantur, non eis tamen incumbunt nisi juxta nutum, & dispositionem Praelatorum, quibus ad Redemptionem inest tota Ordinis potestas, & Regimen. Commendator namque in suo Conventu, Provincialis in sua Provincia, & Magister Generalis in toto Ordine, suam quisque respective facultatem possidet super regimine hujusmodi, ita tamen ut Magister praeceptam, & supremam potestatem obtineat, cui totus subditur Ordo in Redemptionibus exequendis.

3. Hinc ergo nostra Discalceata Familia in iis quae ad Redemptionem captivorum attinent virtute concordiae quibusdam inter utramque familiam Capitulis stabilita per Gregorium XI. confirmata, & per Urbanum VIII., & Innocentium X. declaratae Magistri Generalis directioni, & Jurisdictioni subicitur.

4. Unde firmiter statuimus, ut ad solum Magistrum Generalem pertineat Redemptiones ubique faciendas instruere, & tempus earum in Capitulis Provincialibus designatum, prout magis expedient prorogare, aut contrahere, & pariter ad quod Regnum, Civitatem, vel oppidum mittendae sint constituere.

5. Muneris est ejusdem quotiescumque Redemptor, aut Redemptores a Diffinitorio Capituli Provincialis designati quavis causa, vel ratione defecerint, eos per se solum extra Capitulum noviter institue. Hac eadem facultate gaudeat erga Procuratores Generales Redemptionis tam pro toto Ordine, quam Provincis in Capitulis Provincialibus electos si eos extra Capitulum deesse contigerit.

6. Eidem tamen strictissime praecipimus sub poena Excommunicationis majoris latae sententiae, ut nulla ratione, vel praetextu transferre liceat eleemosynas unius Provinciae in aliam sive ad redimendum captivos illius, aut uberiorem in ea Redemptionem agendam, sive ad repignorandum aut debita in aliqua Redemptione contracta solvendum.

7. Super hoc autem declaramus captivorum eleemosynas in Provinciis Indiarum collectas debere semper juxta antiquam Ordinis Constitutionem Bullis Apostolicis confirmatam Castellae Vandaliaeque Provinciis applicari, ut una cum earum eleemosynis nomine sui, & Provinciarum Indiarum in Castellae, & Vandaliae Redemptionibus impendantur. Unde sub praetexto, & Excommunicatione praefatis dicto Magistro similiter prohibemus, ne illas in Redemptiones aliarum Provinciarum quolibet ex praemissis, aliove quocumque sine distrahatur.

CAPUT II.

De Fratibus bonorum Redemptionis Exactoribus, & Collectoribus Eleemosynarum.

1. Ex merito Instituti non tantum nos per omnia in captivos effundimur usque ad eorum ærumnas, & captivitatem substinendam, sed & eleemosynas, pro ipsis emendicare profitemur, facti pro pauperibus indigentes, ut ait Apostolus. Hinc ergo universis Fratribus declaramus hujusmodi laboribus ex eodem Instituto, & voto ipsos fore semper, & ubique subjectos.

2. Sed ut praedictae eleemosynae, & bona omnia ad Redemptionem quomodocumque spectantia, nulla ratione jaeturam subeant, in qualibet Provincia sit Procurator Generalis a Diffinitorio intra Provinciale Capitulum eligendus, cujus sit pro viribus causas bonorum Redemptionis in quolibet Senatu, vel Tribunali peragere.

3. In quolibet item Conventu alium specialem Procuratorem Conventus instituat, ad quem pertineat universa pro suo Conventu Redemptionis bona praefixa diligenter comparare, atque redditus annuos, Legata, cessiones, res perditas, vulgo *Monstrenicos* exigere, litesque de illis modeste, & viriliter prosequi, ac caetera omnia perolvere circa praedicta bona, quae jure ad suum Conventum pertineant.

4. Procuratoribus autem Generalibus, & particularibus strictissime praecipimus, sub poena privationis suorum officiorum, & vocis activae, & passivae, ut quandocumque in Conventibus ubi resident computa fiant, ipsi quoque compareant coram Commendatore, ac Depositariis, quibus, & de censibus comparatis, de statu litium, de perceptione legatorum, & quorumcumque bonorum ad Redemptionem, & suum munus pertinentium rationem reddant. Similiter, & universis Commendatoribus, ac depositariis super eisdem penis praecipimus, ut nullatenus suorum Conventuum computa aggrediantur, nec rationem dati, & accepti suscipiant, nisi praefata prius, quae ad Redemptionem pertineant.

5. Caeterum ut eleemosynae captivorum uberius in dies accrescant eadem distinctione universis Conventuum Praedicatoribus injungimus, ut in omnibus oppidis, Ecclesiis in Territorio, & ditione sui Conventus inclusis praedictent Redemptionem semel ad minus in anno, & tempore cuiusque Loci fructibus opportuno. Postquam autem concionem habuerint hora competenti cum loci Ministris, & aliis viris probatae auctoritatis (quos potius comitate, quam jure privilegiorum cogi optamus) locum omnem circumeant, & ostentatim eleemosynas exigant pro captivis, & si aliqua de venturis fructibus offerantur in libro ad hoc destinato memoria tradant congruenti ab ipsis tempore exigenda.

6. Inter haec omnia diligenter caveant, ne aliquando se muneri praedicatorum committant, nisi Indulgentiarum Bullis, Regumque privilegiis instructi, nec non licentia Praelati Ordinis, sigillo munita, ac etiam Dioecesanum, quibus adjungunt specialem procuratorem ad colligenda si qua invenerint bona, reliqua Instrumenta, quae videantur opportuna deferant, ne ab Ecclesiarum Rectoribus, vel quovis alio praedicare, & eleemosynas colligere impediatur.

7. Concionatores miserias, cruciatus, ærumnas fidelium Captivorum apud Barbaros, & praecipue abjurandae fidei discrimina prudenter, flebiliter, & devote, populis exponant. Id tamen omnino caveant, ne quemquam verbo laedant, vel alienae professionis Fratribus detrahant, aut scandalum apicem sub poena gravis culpae quomodolibet inferant, quo pacis vincula rumpant, Indulgentias Romanorum Pontificum Ordini non concessas publicare

non audeant sub pena excommunicationis majoris, & gravissimæ culpæ præter alias a jure præfixas; veritatem in omnibus diligant, & mendacium penitus abhorreant.

8. Quapropter Prælati hujusmodi prædicationis, & collectionis munera non nisi Fratribus Deumtimentibus, & virtute præditis imponant, qui omnia prædicta, ut desideramus exerceant, & in exigendis eleemosynis verbis, gestis, & moribus se pios, sobrios, & honestos exhibeant. Quibus insuper sub formali obedientia, & pena privationis muneris prædicandi, & vocis activæ, & passivæ præcipimus, ut nihil bonorum Redemptionis directe, neque indirecte colore, titulo, vel prætextu aliquo tam vero, quam falso sibi quomodolibet applicent, aut in alium finem etiam si honestum, & pium distrahant, nisi quæ pro conduçione necessaria visa fuerint.

9. Ut ergo istud prædicationis munus ferventius exerceatur, & nulla negligentia tepescat universis prædicatoribus Redemptionis per totum Ordinem declaramus sibi non fore computandos ad gradum Præsentaturæ de Pulpito obtinendum annos singulos, quibus, ut pie dicitur non prædicaverint, aut Collectam eleemosynarum quovis modo non fecerint.

10. Ditiones, & Territoria ad Collectam eleemosynarum, & exactiõnem omnium bonorum Redemptionis in Capitulo Provinciali cujuslibet Provinciæ designata nullus Procurator, Prædicator, aut Frater confundat, vel prætereat, sed unusquisque in suis finibus laboret, ut collectiones cum distinctione, & sine invidia fomite fiant, ne meritum unius operarii ex aliena messe ditescat.

11. Solicite studeant Procuratores, ut in singulis Urbibus, & earum Parochiis in Villis, Oppidis, & Castris totius Ditionis suæ constituantur Sindici, vel quos Fratres Redemptionis appellamus, qui diebus Festis petant eleemosynas, & eas fideliter custodiant; ad hoc autem eos sufficienti juris auctoritate instruant per Instrumentum publicum, & in eorum absentia omnia Redemptionis bona, cum opus fuerit exigere, & prævenire valeant. In omnibus Ecclesiis, diversoribus, & locis publicis capfulas, vulgo *Cepos* affixas semper esse sollicitent, quibus Fideles pietatis suæ largitiones inferant.

12. Caveant Prælati, ne hujusmodi eleemosynarum collectionem personis Sæcularibus sub quavis conventionem committant, sed nostris dumtaxat Fratribus præfatis moribus, & honestate conspicuis.

CAPUT III.

De Administratione, & Custodia Bonorum Redemptionis.

1. Non satis adhuc prudenter Redemptionis eleemosynas huic Sacculo æternitatis intulimus, si eum a tinea negligentia, vel quavis humani cordis erugine non defendimus. Hoc igitur studio universis Commendatoribus indispensabiliter, & sub pœnis inferis infligendis statuimus, ut in quolibet Conventu Arcam specialem, & diversam a deposito Conventus destinatam habeant, cui omnia Redemptionis Bona fideliter injiciantur, & secure consignata permaneant.

2. Sed ut de cunctis, & singulis discreta ratio habeatur tres libros omnino diversos a prædictis Commendatoribus confici, & in eadem Arca servari præcipimus, Primus sit ubi expresse annotentur Patronatus, Possessiones, Censuræ, aliaque jura perpetua ad Redemptionem pertinentia cum relatione Instrumentorum, & nominibus eorum, a quibus exigenda sunt, & temporis tractu mutantur. Secundus contineat pia Legata, Donationes, Cessiones, Credita, pecuniarum proventus fructuum ex procuracione, & quæstura procedentium cum eleemosynis ubilibet minutatim collectis, & quæcumque alia Bona adventicia. Tertius sit qua-

si major, & Index universalis aliorum, in quem referenda est omnis quomodolibet ratio dati, & accepti idest omnis pecuniæ quocumque titulo adeptæ, & pariter quomodocumque consumptæ.

3. Et non solum in prædicto Deposito hujusmodi libros consignari præcipimus, sed etiam privilegia omnia Apostolica, & Regia, cum universis pariter Scripturis, & Instrumentis ad Bona Redemptionis, & eorum accuratam administrationem, & collectam pertinentibus pro quibus si ad lites aliquas extrahantur substituantur Scheda nomine Procuratoris extrahentis, & loci, vel Tribunalis, cui præsentari contigerit inscripta.

4. Hujusmodi Depositum tribus sit clavibus obferatam, quarum unam habeat Commendator, secundam Procurator Redemptionis, & tertiam dignior Depositarius. Illud utique nullatenus recludatur, vel referatur maneat nisi semper iis tribus clavigeris una concurrentibus, & pariter attestantibus, quidquid dati, vel accepti præscribitur, reponitur, aut extrahitur. Si quis autem contrarium fecerit, pœnam privationis officiorum, & utriusque vocis incurrat.

5. Similiter constituimus, ut in quolibet Conventu præcipuo, & Capite cujuscumque Provinciæ aliud sit depositum generale a Conventuali discretum, cui inferantur omnes pecuniæ Redemptionis totius Provinciæ, & fideliter custodiantur. In illo pariter contineatur liber, in quo singulæ pecuniarum Missiones specialiter, & distincte pro singulis Conventibus memorentur, ut de eo, quod quisque miserit, & in Redemptione laboraverit ratio habeatur in promptu, circa Clausuram vero, & referationem ipsius ferventer exedem, quæ de reliquis superius ordinavimus sub eisdem pœnis privationis officiorum, & vocis activæ, & passivæ, itaut omnia Redemptionis Deposita tribus semper clavibus sint inviolabiliter obfirmata.

6. In Regionibus Peruanis apud Indias pecuniarum Collectæ depositi Generalis cujuslibet Provinciæ ad Generale Depositum Provinciæ Limenis deferantur, ut inde sub classe Regia ad Depositum Generale Conventus Hispaniensis pro Castellæ, & Vandalis Provinciis secure mittantur. In nova vero Hispania Thesaurum Depositum Generalis Provinciæ Lautemalæ ad Depositum Generale Provinciæ, & Conventus Messicani consueverit providemus, ut inde utriusque Depositum pecuniæ ad præfatum Hispanense Depositum adportentur, ad quod etiam, utpote transvectioni commodius, quæ in Provincia Insularum S. Dominici colliguntur recto tramite deducantur.

7. Quo circa universis Indiarum Vicariis Generalibus, & Provincialibus injungimus in id solertissime incumbere, ut prædicta Redemptionis bona, & suarum Provinciarum Collectæ Navibus bene instructis, & validis ad præfatum Hispaniam Civitatem deveniant, & ejusdem Urbis Commendatori, & Procuratori Generali Redemptionis, ac Depositario digniori tradantur, qui profecto adhibito, aut authentico Testimonio ea cuncta suscipiant, generalique Deposito inferant, ut suo tempore usibus Redemptionis dumtaxat integre deserviant.

8. Uterius ipsi Commendatori, & prædictis aliis duobus Clavigeris ejusdem Conventus enixe præcipimus, ut post susceptam præfatum pecuniam confestim sub testimonialibus literis rem totam Ordinis Magistro denuncient, & summas omnes allatæ pecuniæ fidelissime referant, necnon Provincialibus Castellæ, & Vandalis, ut eorum neminem Thesauri fundum lateat, ex eoque Redemptio suo tempore decernatur.

9. Rursus etiam præfati Constitutione universis per totum Ordinem Fratribus cujuslibet qualitatis, aut conditionis extiterint, & tam Prælati, quam Subditi distincte præcipimus sub pœna excommunicationis majoris, & privationis vocis activæ, & passivæ in perpetuum, ut si

aliquid quomodocumque susceperint pro Redemptione Captivorum intra terminum 24. horarum ad Depositum deferant, & tribus ejus Clavigeris manifestent, & tradant, qui pariter sub eisdem pœnis confestim, & sine mora, quæ præfatum terminum excedat hujusmodi deposito simul inferent, & in libro ibidem incluso debita ratione conscribant.

10. Sub ipsis quoque pœnis, & ulterius virtute formalis obedientiæ, & privationis officiorum, atque inhabilitatis ad illa in perpetuum universis etiam, & eisdem, ut superius Fratribus præcipimus, ut prædicta Redemptionis bona undecumque obtenta, & ubilibet custodita in toto, vel in parte nulla ratione, vel prætextu vero, vel falso ad alia etiam indigentia, aut cujuscumque pietatis impendia transferant, seu transferri permittant, nisi ad usus ipsius effectivæ redemptionis. Nec insuper sub eisdem pœnis prætextu qualicumque securitatis a pignore interveniente pecunias extrahant, vel mutant, neque cum bonis Conventualibus permisceant: sed discretim cum fidelitate reponantur, & sint semper in proprio Deposito, ut jam statutum est. Neque demum fructus Redemptionis pie a fidelibus erogati cum fructibus Conventibus confundantur, sed seorsim pariter, & cum distinctione serventur.

11. De ipsis adhuc fructibus prohibemus, ne possint a Conventibus emi, vel pretio quomodolibet comparari, nisi prius juxta æqualitatem tæxentur, & pecunia inde proveniens illico, & sine mora solvatur, & proprio inferatur Deposito. Quod si quis Commendator secus egerit, vel quicumque alius tam Prælati, quam Vistator, aut Claviger Depositæ Redemptionis quomodocumque fieri permiserit, aut simulaverit, vel etiam quicumque Frater hæc sciens non denunciaverit, eisdem pœnis superius in hac Constitutione positæ subjacebit. Et quasi Reus, & fractor prædicti formalis præcepti puniatur.

12. Si vero Frater aliquis quacumque conditione, Dignitate, Officio, vel qualitate munitus bona Redemptionis quoad aliquid defraudasse convictus fuerit, non solum voce activa, & passiva, omnique officio, & dignitate perpetuo maneat privatus, sed illum neque Provincialis, neque Magister Ordinis valeat ad prædicta, vel aliquod eorum restituere, neque a reatu, vel pœnis eripere, nisi Diffinitorium generale demtaxat unanime, & conforme, ac nemine discrepante, fraude tamen soluta, & restitutis ablatis.

13. Quæ omnia in hac Constitutione præmissa sic ab omnibus Prælati per totum Ordinem observari præcipimus, ut si aliquo modo contrarium fecerint, vel facientes, permittentes, scientesque, & non denunciantes in sua noxa, vel culpa toleraverint, & eos præfatis pœnis emendare noluerint ipsos Prælatos eisdem præcepto, & pœnis innodatos esse decernimus.

14. Provincialibus vero solite super hoc invigilare præcipimus, atque ita diligenter cunctorum Fratrum bona Redemptionis tractantium Fidem, zelum, & munera perscrutari, & sic acriter Censuræ hujus labis intendere, ut ne apicem quidem de illa convictis ignoscant; quinimo eos, si ve Commendatores, si ve subditos, quos negligentes, & huic nostræ tam salubri Constitutioni adversantes invenerint de facto privatione suorum officiorum, atque utriusque vocis afficiant, aliisque pœnis pro criminis magnitudine plestant.

15. Insuper Commendatoribus eodem zelo subjungimus, ne Animalia, quæ Ministerio Redemptionis inserviunt aliqua Conventus opera quavis ratione distrahant, neque vendantur, neque permittantur, nisi prius licentia in scriptis a Provinciali obtenta.

16. Tandem vero ut apud Judicium Capituli Provincialis non lateat qua fidelitate bona Redemptionis tractentur, qua securitate serventur

prædicta, & quo fervore Conventus omnes, ac eorum super hoc Ministri, & Collectores in aggregandis, excolendis, & custodiendis elemosinis elaborent sub formali obedientia præcipimus Commendatoribus universis, ut deferant ad Capitulum, vel mittant una cum rationibus Conventus, aliam specialem, & separatam authenticæ, & a Depositariis subscriptam, quæ sit transumptum ad literam omnium contentorum in libro Redemptionis, quem majorem diximus a principio triennii usque ad finem, tam circa datum, quam acceptum cujuscumque sit generis, Commendatores autem Domorum ubi extant Deposita generalia præter specialem rationem prædictam sub eodem teneantur præcepto deferre ad ipsum Capitulum aliam similem ad literam ab eis pariter authenticæ deductam ex eodem libro majori Depositi generalis, ut collata ista in Diffinitorio cum reliquis particularibus, & perspectis omnibus eorum rationibus, & computis appareat qualiter inter se cohæreant, & vel Fides, ac sollicitudo omnium Redemptioni ministrantium cum laude probeatur, vel negligentia, seu labe cum securitate puniatur.

CAPUT IV.

De modo, opportunitate, & conditionibus quibus est exequenda Redemptio.

1. Etsi dilectio nesciat habere modum, ejus tamen operi modum, & formam imponimus, ne pereat aliquando dum imprudenter assumitur, sic enim quandoque potest jacturam pati Redemptio si eam per media bella, pyratas, atque infida maria improvide Ordo suscipiat. Hinc ergo Magister Ordinis primum cavere debet ut illa ab ejusmodi timoribus omnino tuta procedat, ac securæ, & ulterius, ut Infidelium regio, seu tractus sit profecto salubris, & nulla contagione laborans, ne dum Captivos refovere pergimus a morte, vel furibus præcludatur charitatis intentio.

2. His itaque bene, matureque prospectis, quoniam etiam aliunde nolumus Redemptionses aggredi sine sufficiente Collecta, idcirco præcipimus ne Capitulum, aut Magister eas pro libito decernant, nisi cum facultates suppetant ad congruentem numerum, ne dum exiguos crebro peragimus sumptus, & expensæ sæpius iteratæ potius Captivis noceant, quam proficiant.

3. Per hoc tamen non intendimus casum illum excludere quo ad qualemcumque Redemtionem aliquando properare compellimur, dum nova insolita, & speciali acerbitate infidelium plures certo scimus in ingentibus versari periculis, valdeque indigere Redemtionem, & solatio. Quod quia non semel contigit huic etiam necessitati desiderantes occurrere Magistro Generali consulimus, ut re mature inspecta eligat ubique, quod sibi melius expedire videatur.

4. Quandocumque autem firma Decreto Statuta fuerit Redemptio statim Procuratores Generales illius in Regiis Curii residentes omnia Instrumenta regalia quibus opus fuerit ad Redemtionem instruendam rite sibi expediant, & Commeatum vulgo *Salvocondotto* nuncupatum ab Infidelium Principe, in cujus ditione agenda est Redemptio confestim, & diligenter obrinendum curent, quæ omnia debita forma suo tempore tradantur Redemptoribus.

5. Sex ante mensibus, quam proficiatur Redemptio fiat ejus prima publicatio per Procuratores Generales appensis publicis Tabellis impressis in omnibus Civitatibus, & Oppidis præcipuis Regnorum unde eadem sit mittenda Redemptio.

6. Subinde constituimus, ut duobus mensibus ante Redemtionis egressum in omnibus Conventibus Provinciæ, aut Provinciarum a

quibus

quibus expeditur fiat indeficienter à Fratibus solemnibus publicatio cum Processione per Civitatem, aut locum, habita prius concione ad Populum, in qua sicut, & in schedulis per loca publica affixis, publicentur Indulgentiæ nostris Confratribus concessæ ad dictam Processionem, & publicationem personaliter assistentibus, pieque etiam referantur Captivorum labores, & ærumnæ. Hæc autem omnia, ut mature tempore prædicto à Commendatoribus compleantur, eos ita opportune de exitu Redemptionis Provinciales admoneant, ut publicatio fiat veluti prædicatur.

7. Commendatoribus vero præcipimus, ut tempore hujus publicationis, & per totum diem aut dies, si opus fuerit Fratres aliquos designent, qui elemosynas pro tam egregio charitatis opere à Fidelibus instant, & opportune deposcant.

8. Infra tempus autem sex mensium præfatæ publicationis enixe Provincialibus constituimus in id solertissime incumbere, ut omnes elemosynæ, tam in Depositis particularibus Conventuum, quam apud locorum Syndicos, vel ubique dispersæ inferantur Depositis generalibus Provinciarum, ne mora in illis colligendis serum, & importunum reddat Redemptionis egressum.

9. Cæterum, ut opus, quod à charitate procedit ab ipsa etiam, quæ non æmulatur summo pietatis federe, & sine contentione fiat, firmiter stabilimus; ut in Hispania Redemptions Provinciarum Aragoniæ, & Valentia dum ad Redemptionem proficiscuntur ab ipso initio executionis muneris, usque ad finem, nulla altera alteri superioritate præcellat, sed fraternæ Societatis vinculo quavis charitatis Ministri, nullam sibi quisque majorem potestatem arrogare præsumat, quin potius cuncta Redemptionis opera fraterna æqualitate perficiant.

10. Redemptionum, quæ in Provinciis Castellæ, & Vandalia simul hætenus fieri consueverunt, unionem, aut consuetudinem non frangimus, imo de cætero eodem semper vinculo peragi constituimus, itaut eadem fraterna æqualitate, & potestate, quam in præfatis Redemptions ordinavimus, ipsi quoque Redemptores Castellæ, & Vandalia in omnibus suis actibus utantur, in iis videlicet, quæ ad Redemptionem attingunt.

CAPUT V.

De Redemptoribus, & institutione illorum.

1. Fratres itaque, qui à Diffinitorio Provinciali intra Capitulum, vel extra illud à Magistro Generali pro Redemptione agenda designantur semper elegantur vita, ætate, scientia, moribus, & discretione præditi, & quos non lateat cautela, & zelus secundum scientiam, ne vel ab Infidelibus possint quoad aliquid fraude, vel dolo decipi, aut ab ipsis etiam captivis figmento periculi, atque ærumnarum, nec alioquin quavis arte deludi.

2. Ex duobus Redemptoribus cujuslibet Provinciæ unus saltem eligatur semper gradu Magisterii, vel Præsentaturæ de numero in Sacra Theologia insignitus, qui vel ejus Socius (si fieri possit) jam de munere sit expertus, & Redemptionis opus aliquando peregerit.

3. Fratres autem hujusmodi non per interpositas personas, nisi cum necessitas urgeat, statim constituemus, sed per se ipsos ab initio in finem Redemptionem exercent, quibus enixe subjungimus, ut pro viribus captivorum salutem provideant, debitaque illis officia charitatis impendant non cessantes cum Apostolo nocte, & die unumquemque monere cum lacrymis. Et cum publice non liceat ne Redemptio patiatur injuriam, eos cum eodem Apostolo docere per Domos, & loca devia, ac nihil subtrahere utilium quominus an-

nuntient eis in Deum penitentiam, & fidem in Dominum nostrum Jesum Christum, & qualiter illam cunctis laboribus, pressuris, & vinculis præferre debeant, & plusquam vitam diligere.

4. In hoc Redemptionis commercio sic fide Redemptores se gerant in emptionibus, & pactionibus cum fidelibus ut illis nullam doli suspicionem ingerant, sed Christianæ, religiosæque fidelitatis testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt tota sinceritate contendant. Eam autem misericordiam cum captivis exercent, qua non omnes, seu quoscumque liberare constituent, sed postquam caute, & prudenter redemerint necessarios, de cætero consulant charitatis ordinem, & quantum fieri possit eos eligant, quos plus fidei discrimen, ac pressuræ vexaverint, Pueros, & Adolescentes, feminas propter fragilitatem ætatis, & sexus in libertatem quamcunque vindicare festinent, itaut semper major fidei præponatur utilitas, in reliquis regula, & ordo æquitatis servetur.

5. Unde Redemptoribus Castellæ, & Vandalia Provinciarum omnino præcipimus, ut quia elemosynæ, quas offerunt ex majori parte sunt ex Provinciis Indiarum omnes earum Indigenas quantum eis liceat redimere studeant. Quam Regulam universis in genere Redemptoribus ex debito æquitatis præscribimus, quod redemptis prius illis, qui in fidei discrimine versantur, eorum postea Regnorum captivos impensus nitantur eripere, unde elemosynæ provenerunt.

6. Quapropter, etiam cavere debent ne pecunias, quas pro Redemptione alicujus determinatæ personæ acceperint a Parentibus, Consanguineis, vel amicis in alterius libertatem expendant, quod si Captivum illum pro quo specialiter fuerant consignatæ quacumque causa redimere non possint, eas integras omnino servent, ut suis largitoribus cum fidelitate reddantur.

7. Ipsi ulterius præcipimus sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ in perpetuum, ne titulo augenda Redemptionis elemosynas, alioque quocumque salubriter, atque honestissime excogitabili eas per hujusmodi commercium ulli lucro, vel augmento subjiciant, neque ab alio id quovis modo fieri permittant, sed totum Redemptionis Theaurum pure, & in propria specie pecuniæ secum ad Infideles deferant, nullasque merces ex ea comparent, etiam si apud illos carius venditæ ingens Redemptioni, & captivis lucrum importent, eidem insuper prohibemus, ne personas Sæculares titulo servitutis, necessitudinis, aut alio quolibet ultro secum transfretare sustineant.

8. Verum si Redemptoribus ad Infidelium oras sit omnino interclusus aditus, tunc ipsis, ne se, & captivorum bona in jacturam temere projiciant, per interpositas personas Redemptionem exercere liceat.

9. Ut Redemptores majori fide, charitate, & commodo omne suæ villicationis munus adimpleant sub dictis pœnis illis præcipimus, ut singuli singulos libros habeant pro sua quisque Provinciæ, vel Regno, in quibus omnia pro captivorum redemptione tam ab Ordine, quam aliunde a Sæcularibus per modum elemosynæ, subsidii, & adjutorii suscepta fideliter præscribant, dato prius tradentibus testimonio acceptæ pecuniæ. Quacumque necessario expenderit, etiam in eisdem libros referant, ut quancumque opus fuerit rationem dati, & accepti reddere ubique valeant.

10. Insuper in prædictis libris memoratos esse volumus, & statimus omnes captivos, relatis propriis nominibus, eorum ætate, patria, tempore servitutis, & Redemptionis pretio, ad finem autem superaddi facimus publicum Instrumentum omnium eorum, quæ in tota Redemptione sunt gesta, & fuerint notatu digno-

ra. Qui-

ra. Quibus ita peractis, fratres remeatum instruant, & cum captivis reuertantur ad propria, recepto prius a singulis iuramento fidelitatis, quod pacifice sibi eos ducentibus obedient, & quo voluerint sequenter per duos menses ex quo fidelium oris, ad quas diriguntur appulerint. Cæterum interea omnia in via necessaria ministrantur eis pia largitione, & consilio.

11. Injungimus vero ipsis Redemptoribus sub pœna prædicta, ne superfluos sumptus tam in se ipsis, quam in aliis, & tam euntes, quam redeuntes de Bonis Redemptionis faciant, sed se gerant in omnibus sobrie, parce, & humiliter, ut decet Ministros Christi, & dispensatores bonorum indigentium.

12. In Redemptionis munere exercendo, caveant omnino ne instructiones regias, & quas Magister Generalis illis prudenter ingerat, aliquatenus prætereant, sed eis sollicitè incumbant.

13. Peractis itaque Redemptionibus, ipsis Redemptoribus præcipimus, ut in duobus immediate Capitulis districtam sui muneris rationem reddant, ita nimirum, ut si Capitulum prius occurrens fuerit Provinciale, illi, & Generali immediate postea gerendo semel, & iterum rationem exhibeant, attamen si Generale Capitulum prius habeatur, huic eos primo subijcimus, & deinde specialiter Provinciali proxime celebrando, ut iis a quibus est accepta pecunia jure reddatur ratio de expensis illius.

14. Quare Diffinitoribus utriusque Capituli, & illis omnibus, ad quos hujusmodi iudicium attineat sub interminatione ultionis æternæ præcipimus, ne illud leviter, sed toto æquitatis pondere assumant, libros eorum exactissime evolvant, foliorum notas, & quantitates singulatim relegant, & iterum ad summas novo examine ducant universam rationem dati, & accepti, & qualiter sibi cohæreat diligentissime discutiant, neque aliquid sine censura prætereant, aut sumptus quolibet, & impendia, nisi iusta, & rationabilia, minime vero superflua admittant. Si autem eos quoad aliquid negligentes, aut noxam contraxisse fortasse reperiant, illos pœnis nostræ Constitutionis, & severa ultione sine moderamine plectant. Interim tamen donec primam rationem primo Capitulo exhibeant, ut prædictum ad nullum promoveant officium.

CAPUT VI.

De opportunitate, & forma a Redemptoribus servanda in executione Quarti voti.

1. Cum nostri voti excellentia, & dignitas, ut impleatur opportune, & utiliter non parvam prudentiam exigat illud specialiter ordinare duximus, quo sit videlicet tempore, & casibus exequendum, si enim aliquando contigerit, ut finito jam thesauro, & tota Redemptionis stipe consumpta, parumve sufficiente, Captivus, aut captivi aliqui emergant cujuscumque sexus, ætatis, aut conditionis extiterint, de quo, vel quibus prudenter, & rationabiliter timeatur abnegatio fidei, tunc (exigente jam nostri Ordinis voto, & vicibus Instituti, quo Nos Beatissima Virgo Maria Christi exemplo configuravit) unus Frater pro illo, seu illis alacriter se devoteat, & vinculo charitatis tradat, maneatque pro pigro detentus in potestate Infidelium signatis pretio, & termino solutionis ejus.

2. In hoc autem charitatis facinore caveant prudentissime Redemptores, ne aliquando leviter eo zelo, aut æmulatione ducantur, quæ non est secundum scientiam, ut ait Apostolus, cum enim non ad voti literam, quæ aliquando occidit, sed ad ejus spiritum oporteat intendere, non ultro se debent pro quolibet Captivo, aut quavis causa tradere, nec pro alienæ Redemptionis debitis, aut pro ætate, sexu, vel qualitate perfo-

næ passionem, & pignus statuere, sed pro solo fidei discrimine, & Redemptione Animæ, quæ est totus finis, & scopus charitatis hujusmodi, quia etsi pie quoque corpora exuimus, ea per hoc tendimus ne ferrum pertranscat animam, & vincula corporis fiant pariter mentis laqueus ad captivitatem æternam.

3. Quando autem aliquis de Redemptoribus sic vadimonium pignus, & sui traditionem instituit diligenter studeat, ne unquam pacto, seu conditione se obliget Infidelibus, ut ad ipsos deferatur Captivus de Secta, & Natione sua apud Christianos detentus.

4. Sic ergo Redemptione peracta licet unus Redemptor maneat, non ideo moram alter faciat, sed quamprimum ad regressum se expediens eam festinanter non dolens, sed gaudens de remansione socii ad propria reducat, quibusdam prius elemosynis Captivis remanentibus plusque mœrore, & egestate laborantibus juxta uniuscujusque indigentiam distributis.

5. Redemptorem vero relictum apud Barbaros nolumus esse desidem, sed operosum quasi apem in salute Captivorum procuranda, & cunctis eorum necessitatibus sublevandis. Attendens enim ad petram unde fuit excisus ob oculos semper habeat non se tantum mansisse obfidem propter Redemptionem periclitantis, sed id sæpius divina dispensatione contingere, ut Captivus ex commercio Infidelium non raro languentibus morum, & fidei sit magister, & Medicus, ut cum Tobia tribuat illis munita salutis ad vitam, cum Joseph autem erudiat ipsos vitæ puritate, & exemplo, & deinde secum Ezechielem conferens, quod perierit requirat, quod abjectum est reducat, quod contractum est alliget, quod infirmum consolidet, quod pingue, & forte custodiat.

CAPUT VII.

De forma dimittendi Redemptionem, & deprecatione pro illa.

1. Cum jam tempus accesserit, quod dimittenda est Redemptio, omnes Fratres cum palleis infra Caputium congregentur, qui hinc inde per choros ordinati ducant Prælaturum cum Redemptoribus ad Ecclesiam, usque ad gradus supremi Altaris, ubi in cornu Evangelii parata erit Sedes quam occupans Prælatus, & Fratribus per Choros adstantibus, vel sedentibus Redemptoribus ante Prælaturum genuflexis, vel si aliquis expedit prope illum sedentibus brevem sermonem, ut pondere gravem, & charitate fluentem, Redemptionisque mûneri peropportuno instituat, in quo scilicet voti, & promissæ fidei sapienter reddat memores, & quemadmodum salutem animarum supra se ipsos diligere oporteat non timentes pericula, vel pressuras, non formidantes sanguinem, aut mortem acerbissimam, sed adhæc omnia perferenda debere esse paratos in obsequium fidei, & suæ professionis, ac etiam charitatis intuitu.

2. His, & aliis prudenter Redemptoribus admonitis priusquam benedictionem itinerantium Prælatus tribuat, procedat ad faciendam pro eis deprecationem, ut illis Deus propitius adsit in executione sui muneris, supernaque ipsos virtute accingat, ad quod surgentibus fratribus Chori stans Prælatus inchoet Antiphonam *Intraibo in Domum*, Chorus autem addat Psalmum.

Credidi propter quod locutus sum, ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo: omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi: Calicem salutis accipiam, & nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus: pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.

O Domine quia ego servus tuus: Ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ.

Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo Hostiam laudis: & Nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus: in atris Domus Domini, in medio tui Jerusalem. *Gloria Patri &c.*

Deinde repetatur Antiphona *Introibo in Domum tuam in holocaustis, reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.* Quæ recitata dicatur, Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. *Pater Noster.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℞. Sed libera nos a malo.

℣. Beatus, qui intelligit super egenum, & pauperem.

℞. In die mala liberabit eum Dominus.

℣. Immola Deo Sacrificium laudis.

℞. Et redde Altissimo vota tua.

℣. Propter miseriam inopum, & gemitum Pauperum.

℞. Nunc exurgam, dicit Dominus.

℣. Respice de Cælo, & vide, & visita vineam istam,

℞. Quam plantavit dextera tua.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℞. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℞. Et cum spiritu tuo.

O R E M U S.

Vota quæsumus Domine supplicantis Populi cælesti pietate prosequere, ut & quæ agenda sunt videant, & adimplenda, quæ viderint convalescant.

Deus qui per unigenitum tuum æternitatis nobis aditum devota morte reserasti, vota nostra, quæ proveniendo aspiras, etiam adjuvando prosequere.

Deus qui nos a sæculi vanitate conversos ad æternæ vocationis accendis amorem: pectoribus nostris purificandis illabere, & gratiam Nobis, qua in te perseveremus infunde, ut protectionis tuæ muniti præsidis, quæ te donante promissimus impleamus; & nostræ professionis executores effecti, ad ea, quæ creditibus in te dignatus es promittere pertingamus.

Deus omnium Sanctorum splendor mirabilis, qui Ordinem nostrum per Beatissimam Virginem Mariam divinitus instituire dignatus es, quique Sanctis tuis Petro Nolasco Patri nostro, Raymundo Nonnato, ac Beatis Petro Paschasio, & Armenigaudo inviolabilem in redimendis captivis dedisti charitatis effectum: præsta quæsumus; ut gressus nostri in eorum semitis perficiantur, & ejusdem charitatis donum, quod in illis continuo veneramus obsequio, nobis quoque spiritali largitate donetur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Peractis hujusmodi precibus ulterius ad benedictionem itinerantium progrediendo incipiat ipse Prælatus Antiphonam. *In viam pacis*, & chorus prosequitur, cum cantico *Benedictus*, quo terminato per *Gloria Patri* repetitur Antiphona. *In viam pacis*, & prosperitatis dirigat vos omnipotens, & misericors Dominus, & Angelus Raphael comitetur vobiscum in via, ut cum pace, salute, & gaudio revertamini ad propria. Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. *Pater noster.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℞. Sed libera nos a malo.

℣. Salvos fac servos tuos.

℞. Deus meus sperantes in te.

℣. Mitte eis Domine auxilium de Sancto.

℞. Et de Sion tuere nos.

℣. Esto eis Domine Turris fortitudinis.

℞. A facie Inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in eis.

℞. Et filius iniquitatis non opponat nocere eis.

℣. Benedictus Dominus die quotidie.

℞. Prosperum iter faciat eis Deus salutarium nostrorum.

℣. Vias tuas Domine demonstra eis.

℞. Et semitas tuas edoce eos.

℣. Utinam dirigantur viæ eorum.

℞. Ad custodiendas justificationes tuas.

℣. Erunt prava in directâ.

℞. Et aspera in vias planas.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℞. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℞. Et cum spiritu tuo.

O R E M U S.

Deus qui Abraham puerum tuum de Ur Chaldæorum educum per omnes suæ peregrinationis vias illæsum custodisti, quæsumus, ut hos famulos custodire digneris: Esto eis Domine in procinctu suffragium, in via solatium, in æstu umbraculum, in pluvia, & frigore tegumentum, in lassitudine vehiculum, in adversitate præsidium, in lubrico baculus, in naufragio portus, ut te duce quo tendunt prospere perveniant, & demum incolentes ad propria redeant.

Adesto quæsumus Domine supplicationibus nostris, & viam famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone ut inter omnes viæ, & vitæ hujus varietates tuo semper protegantur auxilio.

Deus, qui transfulisti Patres nostros per mare Rubrum, & transvestisti eos per aquam nimiam, laudem tui nominis decantantes: te suppliciter deprecamur, ut in via, & navi famulos tuos repulsis adversitatibus, cursu tranquillo, vel portu semper optabili tuearis per Christum Dominum nostrum. Amen.

3. Finitis orationibus Redemptores surgant dicentes, *Procedamus in pace*, & chorus respondeat, *In nomine Domini Amen.* Prælatus autem addat eis: *Et sit Deus in itinere vestro, & Angelus ejus comitetur vobiscum.* Quo dicto suscipiat eos Prælatus profunde parum inclinatos ad amplexum, & osculum pacis illis vale dicens, quod & similiter faciant omnes Fratres, & postea deducant eos ad Januam Conventus vel Ecclesiæ unde viam incipiant.

4. Sic itaque Redemptoribus, & toto Redemptionis comœatu dimissis singulis diebus sine intermissione, usque ad regressum, in omnibus Provinciæ, aut Provinciarum Conventibus cujus, vel quarum nomine sit Redemptio instituenta, & facienda est post Missam Conventualem hujusmodi deprecatio, Antiphona *Aspice Domine.* Deinde dicatur Psalmus 97.

Qui Regis Israel intende, qui deducis velut ovem Joseph.

Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim, Benjamin, & Manasse.

Excita potentiam tuam, & veni ut salvos facias nos.

Deus converte nos, & ostende faciem tuam, & salvi erimus.

Domine Deus virtutum, quousque irasceres super orationem servi tui?

Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis in mensura.

Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris, & inimici nostri subsannaverunt nos.

Deus virtutum converte nos, & ostende faciem tuam, & salvi erimus.

Vineam de Ægypto transfulisti, ejecisti gentes, & plantasti eam.

Dux itineris fuisti in conspectu ejus: plantasti radices ejus, & implevit terram.

Operuit montes umbra ejus, & arbuta ejus cedros Dei.

Extendit palmites suos usque ad mare, & usque ad flumen propagines ejus.

Ut quid destruxisti maceriam ejus? Et vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur, viam?

Exterminavit eam aper de silva, & singularis ferus depastus est eam.

Deus virtutum convertere, respice de celo, & vide, & visita vineam istam.

Et perfice eam, quam plantavit dextera tua, & super filium hominis, quem confirmasti tibi.

Incesa igni, & suffossa: ab increpatione vultus tui peribunt.

Fiat manus tua super virum dextera tua, & super filium hominis, quem confirmasti tibi.

Et non discedimus a te: vivificabis nos, & nomen tuum invocabimus.

Domine Deus virtutum converte nos, & ostende faciem tuam, & salvi erimus. *Gl. Patri &c.*

Quo finito repetitur Antiphona - Aspice Domine de Sede Sancta tua, & cogita de nobis: inclina Deus meus aurem tuam, & audi, aperi oculos tuos, & vide tribulationem nostram, qui Regis Israel intende, qui deducis velut ovem Joseph. Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℞. Sed libera nos a malo.

℣. Oremus pro Fratribus nostris absentibus.

℞. Salvos fac servos tuos Deus meus sperantes in te.

℣. Misit Moyses servum suum.

℞. Aaron, quem elegit ipsum.

℣. Ut audiret gemitus compeditorum.

℞. Ut solveret filios interemptorum.

℣. Pro afflictis, & captivis.

℞. Libera eos Deus Israel ex omnibus tribulationibus suis.

℣. Egressus in salutem populi.

℞. In salutem cum Christo tuo.

℣. Ora pro nobis Sancta Dei genitrix.

℞. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℞. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℞. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus qui filios Israel per maris medium sicco vestigio ire fecisti, quique tribus Magis iter ad te Stella duce pandisti tribus famulis tuis quæsumus iter prosperum, tempusque tranquillum, ut Angelo tuo Sancto, comitante ad eum, quo pergunt locum, ac demum ad æternæ salutis portum pervenire feliciter valeant.

Adesto Domine supplicationibus nostris, & exaudi clementer, ut famulis tuis, quos dono gratiæ constituisti tui operis ministros, da fiduciam tui operis exequendi, & in eorum ministerio, quod tuæ pietatis est, operari.

Deus qui Beatum Petrum Apostolum a vinculis absolutum illæsum abire fecisti: famulorum tuorum in captivitate positorum vincula absolve, eosque ipsius meritis illæsos abire concede.

Da fidelibus tuis quæsumus Domine in tua æde, & servitute constantiam, ut in charitate tua firmati nullis tentationibus ab ejus integritate vellantur.

Protege Domine famulos tuos subsidiis pacis: & Beatissimæ Mariæ semper Virginis patrocinii confidentes a cunctis hostibus & periculis rede securos. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

CAPUT VIII.

De regressu Redemptionis, & quemadmodum sit ab Ordine suscipienda.

1. Redemptores itaque absoluta jam Redemptione, ut præmittitur, & relictis infidelium oris ita suaviter, prudenter, & misericorditer cum captivis toto professionis temporis se gerant, ut potius cum Christo dilectionis vinculis captivam ducere captivitatem, quam liberam censeantur,

ipsis autem in Regionibus fidelium constitutis ubicumque Conventus Ordinis occurrat si juxta urbis, vel loci præstantiam possit Redemptio suscipi solemniter, & cum processione, & concione ad Populum nullo modo præmittatur, forma autem erit hæc:

2. Conveniant Fratres cum cappis ad Ecclesiam, ibique processionaliter ordinati, & cruce cum Acolythis præcedente, & sequente Sacerdote cum Pluviali albo, & Cruce parva in manibus accedant ad Januam Ecclesiæ, ubi simul omnibus consistentibus Redemptores ingrediantur, & genuflexi ante Sacerdotem adorant Crucem de manu ejus, & aqua benedicta aspergantur, & postea incipiat Antiphonam *Vivit Dominus*, Cantores autem intonent Psalmum 125. quem alternando chorus prosequatur.

In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati.

Tunc repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione.

Tunc dicent inter Centes: Magnificavit Dominus facere cum eis.

Magnificavit Dominus facere nobiscum: facti sumus lætantes.

Converte Domine captivitatem nostram, sicut torrens in Austro.

Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.

Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua.

Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. *Gloria Patri &c.*

Hoc finito repetatur Antiphona, *Vivit Dominus* quoniam custodivit vos Angelus ejus, & hinc euntes, & ibi commorantes, & inde huc revertentes, & revocavit vos nobis gaudentes in victoria sua, & in evasione, & liberatione vestra. Deinde dicitur Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℞. Sed libera nos a malo.

℣. Salvos fac servos tuos.

℞. Deus meus sperantes in te.

℣. Deduxit eos Dominus in viam rectam.

℞. Ut venirent in Civitatem habitationis.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℞. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℞. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Miserere quæsumus Domine his famulis tuis, & quicquid in via eis subripuit visus, vel auditus malæ rei, aut otiosi sermonis torum ineffabili pietate deleas, & abstergas.

Aciones nostras quæsumus Domine aspirando præveni, & adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio, & operatio a te semper incipiat, & per te cepta finiatur. Per Christum Dominum Nostrum. Amen.

3. Hac benedictione peracta incipiant Cantores Hymnum, *Te Deum*, & revertantur omnes processionaliter ad Altare majus, ubi Sacerdos deposita super illud Cruce, & finito Hymno inchoet Antiphonam sequentem, quam Chorus prosequatur. In Mariæ viæ tuæ in aquis multis. Deduxisti sicut oves Populum tuum in manu Moyli, & Aaron. Transulisti eos per Mare rubrum, & transvexisti eos per aquam nimiam, Postea Sacerdos adjiciat

℣. Benedicamus Patrem, & filium cum Sancto Spiritu.

℞. Laudemus, & superexaltemus eum in Sacula.

℣. Qui sponte obtulisti de Israel animas vestras ad periculum.

℞. Benedicite Domino.

℣. Dicant qui redempti sunt a Domino.

R. Quos redemit de manu Inimici, & de Regionibus congregavit eos.
V. Dignare me laudare te Virgo sacrata.
R. Da mihi virtutem contra hostes tuos.
V. Domine exaudi orationem meam.
R. Et clamor meus ad te veniat.
V. Dominus vobiscum.
R. Et cum spiritu tuo.

O R E M U S.

Deus cujus misericordiae non est numerus, & bonitatis infinitus est thesaurus: piissimae Majestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes, ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deferens ad praemia futura disponas.

Excita quaesumus Domine tuorum fidelium voluntates: ut divini operis fructum propensius exequentes, pietatis tuae majora remedia percipiant.

Omnipotens, & misericors Deus, universa nobis adversantia propitiatus exclude: ut mente, & corpore pariter expediti, quae tua sunt liberis mentibus exequamur.

Deus, qui per Gloriosissimam filii tui Matrem ad liberandos Christianifideles a potestate Paganorum nova Ecclesiam tuam prole amplificare dignatus es: praesta quaesumus, ut quam pie veneramus tanti operis Institutricem, ejus pariter meritis, & intercessione a peccatis omnibus, & captivitate Daemonis liberemur.

Deus, qui in tuae charitatis exemplum ad fidelium Redemptionem S. Petrum Nolascum P. N. Ecclesiam tuam nova prole fecundare divinitus docuisti: ipsius nobis intercessione concede, a peccati servitute solutis in Caestri Patria perpetua libertate gaudere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

V. Benedicamus Domino.

R. Deo gratias.

V. Benedicat, & custodiat nos omnipotens, & misericors Dominus.

R. Amen.

V. Et fidelium captivorum animae, & omnium fidelium Defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace.

R. Amen.

4. Hisce conclusis eodem, vel alio die disponatur extra Conventum Processio solemniter, in qua captivi bini, & bini promiscue cum Fratribus nostris ordinentur, & Beatissima Virginitas Mariae de Mercede Imago ab ipsis, vel a nostris Fratribus, seu Confratribus deferatur. In hac autem Processione Fratres cantare debent Psalmos: *In convertendo Dominum captivitatem Sion &c.* & *In exitu Israel de Aegypto* unum post alterum successive alternantes usque ad ingressum Ecclesiae quo tendit Processio, in cujus limine statim Cantores incipiant Hymnum: *Dei Mater Virgo*, prout in festo Beatae Mariae de Mercede, quo finito cum propriis versu, & oratione si matutino tempore gerantur hi actus, celebretur Missa solemniter, & propria de eadem B. Virgine Mariae de Mercede, quae in proprio Ordinis extat cum Gloria, & Credo tanquam pro re gravi, & cum secunda oratione pro gratiarum actione, & post Evangelium fiat concio ad Populum.

5. Si autem vero iste habeatur post meridiem praemissa Processione sola totum Concione concludatur, in qua specialia, si qua fuerint Redemptionis gesta & captivorum pariter labores, ac pressura, eorumque in fide pericula maxime periculorum, & Adolescentulorum, Indulgentiae insuper concessae Ordinis Confratribus, qui hujusmodi, & aliis Redemptionis actibus adfuerint expendantur.

6. Finita Missa, aut concione penes diversi-

tatem temporis, ut praedicitur, si haec fuerint acta in aliena Ecclesia, revertatur Processio eodem ordine, & Hymni *Te Deum* modulatione ad Domum, & Ecclesiam nostram, & terminabitur cum versu, & oratione de Beata Virgine de Mercede, si autem in Domo nostra contigerint post Missam eisdem Hymno versu, & oratione concludatur.

7. Post hanc vero solemniter in principali Conventu Provinciae celebratam, statim Procurator Generalis Redemptionis excuti curet catalogum per totam Provinciam evulgandum, locisque publicis affigendum, in quo sint suo ordine descripta nomina, & cognomina eorum omnium, qui a captivitate liberati fuerint una cum aetate, patria, tempore captivitatis, pretio libertatis, & subsidiis pro illis erogatis.

8. Quibus omnibus expeditis, & captivis per dies aliquot omnibus charitatis operibus recreatis, eos omnes Rosario, & Scapulario cum Ordinis signo muniri praecipimus, & unicuique juxta posse viaticum dare aliquid, ut sic cum benedictione dimissi ad propria sine mendicitate valeant remeare cum gaudio. Sed quia loci distantia, vel aegra valetudo eos quandoque possunt ad petendum Eleemosynas cogere singulis conferri volumus authenticum de ipsorum Redemptione testimonium una cum precibus ad Judices ordinarios, & locorum Ministros tam Ecclesiae, quam Saeculi, ut eos Misericorditer suscipiant, & dimittant, ne profugos, aut vagos reputent.

9. Redemptionibus denique (qui sane praedicta omnia explere, vel explenda sedulo curare debent) cum jam nihil superfit agendum duobus mensibus excursis barbas statim radere Constituimus.

D I S T I N C T I O III.

De votis, & Regularis observantiae disciplinis.

Cum omnium Ordinum Imago, vel Typus non solum fines, sed eorum etiam vota essentialia, accidentalique statuta, referat, requiritur, ut praestitutis nostri Ordinis finibus de illius votis essentialibus, & disciplinis differamus.

C A P U T I.

De voto Obedientiae.

1. Qui pie volunt vivere in Christo, ejusque sectari vestigia se ipsos abnegare debere docuit Evangelium. Hoc sane est jugum, quod suave, & levissimum praedicamus. Hic est summus perfectionis vertex, quo dirigitur tota vita Regularis intentio, & quo violenti jugi secum bello conscendunt, ut denique Caelum rapiant, proinde Fratres nostri voto obedientiae se accingunt, ut ad perfectionis apicem tendentes, eo magis inveniunt, quo magis bellum propriae voluntatis amittant.

2. Obedientia itaque est prompta voluntas adimplendi a Superioribus imperata secundum legem Divinam, & Ecclesiasticam, ac etiam quae continentur in Regula, & Constitutionibus Ordinis, quibus semper aut lata, aut stricta obedientia Fratres redigantur, ut nihil sit, quod sine obedientiae merito gerant. Haec enim, ut praedictum votum sic Ordini, ejusque Regulis, & Praelatis subjicit, ut penitus sub letali teneamur implere quidquid ejus virtute praecipitur.

3. Praeceptum vero in Regula, & Constitutionibus, aut Praelatorum verbis nullum intelligimus, nisi fuerit circa illa, ad quae jam aliunde tenemur ratione voti essentialis, vel Divinae, vel Ecclesiasticae legis, vel nisi sub formali obedientia intimeretur. Verba autem, quibus illud debent Fratres concipere sunt frequenter hujusmodi: Praecipimus in virtute formalis, aut Sanctae obedientiae: in virtute Spiritus Sancti: sub poena excommunicationis majoris latae, vel

ferendae

ferendæ Sententiæ: sub interminatione Divini Judicii: sub obtestatione mortis æternæ: sub maledictione, indignatione, aut ira Dei incurrenda: & aliæ similes comminationes, & execrationes, quæ sua gravitate, & tenore formale præceptum, & ejus intentionem denotant, quibus tamen uti non debet Prælati, nisi materiæ gravitas exposulaverit.

4. Declaramus autem eam esse materiam gravem, & præcepto formali dignam, quæ directe idest expresse, vel indirecte, idest implicite, seu etiam per se, vel ex fine, aut circumstantiis conducit ad observantiam legis Divinæ, aut Ecclesiasticæ, & votorum essentialium Ordinis, ac etiam interdum Regulæ, & Constitutionum illius, ne videlicet vita Regularis in communi dilabatur, cum ejus observantia in communi sit de substantia Religionis.

CAPUT II.

De Voto Paupertatis.

1. Cum Evangelica Paupertas Religiosis maxime sit necessaria, quam Deo voverunt, omnis proprietas Religioso profus detestabilis esse debet. Quocirca nullus Frater a vera paupertate potest, neque debet esse exemptus, unde sub excommunicationis majoris pœna præsentis Constitutione sancimus ne quis Fratrum Professorum aliquid proprium habeat, neque pecunias, neque vasa aliqua aurea, vel argentea, neque illa expendat, neque consumat absque sui Prælati licentia, neque rursus quidquam sine Commendatoris venia vendat, neque emat.

2. Si quid vero ex hujusmodi bonis alicui Fratri donatum fuerit ab Amicis, vel Consanguineis, aut quibusvis aliis Personis, quacumque ratione id receperit, intra spatium viginti quatuor horarum Prælato proprio manifestet, ut in communi Deposito custodiatur, & pariter intra dictas horas id absque licentia non consumat.

3. Præcipimus autem Prælati, sub pœna privationis officii, ne a sibi subditis ex his, quæ in communi Deposito habent, quidquam, vel in minima quantitate, neque ad brevissimum tempus sumant, ut mutuo petant.

4. Nullus Religiosus possit habere annuos redditus, seu census, nisi de licentia Sedis Apostolicæ, quod si secus fiat, ipsis statim privetur qui habuerit, & Conventibus, quibus ex vi Constitutionis pertinent, applicentur.

5. Neque Superioribus liceat Bona aliqua stabilia tanquam propria Regularibus Fratribus concedere, etiam ad usumfructum. Fratres tamen itinerantes, pecuniam portare poterunt, ita sane, ut quamprimum ingressi fuerint proprium Monasterium, in quo sunt moraturi, intra prædictas horas omnia, & singula Commendatori suo, vel Prælato omnia, & singula manifestent.

6. Attendant autem Fratres nostri, quod singulis annis semel omnia, quæ in usu retinent, Commendatoribus suis exponant, & realiter exhibeant, eorum dispositioni relinquendo, & specialem licentiam utendi eis accipient a Prælato.

7. Procuratores poterunt suum habere Marsupium, quatenus ad sumptus Conventus fuerit necessarium. Quicumque vero Frater, seu Procurator, bona Ordinis quæcumque, seu pecunias receperit, eorum omnium reddat suo Commendatori, atque Conventui rationem. Magister autem Generalis, aut Provincialis, omnium, quæ receperit Diffinitorio Capituli pariter rationem sunt reddituri.

8. Similiter Vicarii Generales Indiæ tenentur reddere rationem omnium, quæ in Ministerio sui officii receperint: itaut nullus in Ordine nostro remaneat, quin eorum omnium, quæ ipse receperit, computum, & rationem reddat. Qui vero

contrarium fecerit, aut contra seriem harum Constitutionum, proprietarius repertus fuerit, sciat se esse socium Judæ, & biennio activa, & passiva voce privandum, & pœnis proprietario ex jure taxatis subjacere. Et in eo casu liberam habeat Commendator potestatem auferendi Bona, aut pecunias proprietarii, in quibus deliquit, eaque Conventui applicare, seu Fratribus indigentibus distribuere, ut bene Prælato placuerit. Quod si quis (quod Deus avertat) proprietarius mortuus fuerit, sepultura careat Ecclesiastica, & extra Cœmeterium ad campos sepeliatur.

9. Insuper in Cellis Fratrum nolumus Prælatos admittere aliqua suppellectilia ferica, aurea, argentea, aut alioquin pretiose elaborata, & contexta, non picturas, laminasve profanas, seu nobilibus, seu deauratis limbis circumdatas, sed devota solum, & quæ mentem ad Deum erigant, non inficiant; nullum item pretiosum scriinium, seu, quod pro majestate sæculi vanitatem sapiat. Neque plures iterum sellas, sed paucas, & humiles. Nulla tandem ad genus utensilia, quæ vel artis elegantia, vel nobilitate materiæ regularem paupertatem, & honestatem dedecet.

10. Ne autem dilecta paupertas in Fratrum cordibus excedat, pro inventario consiciendo Prælati subjungimus, ut Capitulum instituant in quo eosdem ad omnem proprietatem ex mentibus relegandam, & juxta voti professionem solam paupertatem affectu, & opere prosequendam graviter, & religiose præveniant. Ipsi vero Fratribus sub formali præcepto obedientiæ præcipimus, cujuscumque conditionis, officii, vel qualitatis extiterint, ut singulis annis sub feria quinta majoris hebdomadæ, aut Festo S. Andree, seu alio forsitan die secundum consuetudinem Provinciarum, Inventarium faciant de his omnibus, quæ apud se habeant concessa ad usum a Religione, vel Prælati: in quo clare, distincte, & manifeste omnia recenseant, & exponant de præsentibus habitis, vel ad eorum usum quomodolibet pertinentia, & quidquid circa illa tam ratione voti, quam alicujus justitiæ, vel debiti necessarium duxerint adnotare. Quæ quidem ita declarari præcipimus, ut toto corde Prælato subjicere curent, sicut in Inventario, & resignatione omnium ad usum concessorum facta ob mortis intuitum, ut si illa Fratrem subito præoccupari contingat, pie munitus paupertate decedat.

11. Hoc itaque Inventarium sic accurate factum subscribant Fratres ipsi, & obsignatum Commendatori tribuant, ut in communi Deposito servetur. Ulterius etiam ordinamus, ut Fratres non tantum sua bona utensilia modo dicto signata (ob finem inferius exponendum) Prælati, & Religioni subjiciant, sed simul eis vere, & realiter manifestent, a quibus, & novam illis utendi facultatem accipiant.

12. Neque ab his actibus excipimus Fratres nostros ad Episcopatum, vel ad aliam quomodolibet dignitatem assumptos, quibus similiter constituimus, ut priusquam Ordinem deferant, simile Inventarium, & resignationem faciant de omnibus, quæ ad usum receperint a Prælati, & retinent in effectu. De quibus si Prælati consentiant aliqua extra Ordinem eos deferre secum, fiat cum prævia declaratione, pactione, & obligatione authentica quamprimum ea reddendi ipsi Ordini. Instrumentum vero hujusmodi pactionis apud Conventum filiarionis eorum maneat in Deposito Scripturarum, ut tempore opportuno virtute illius possit exigi quidquid ex prædictis non fuerit solutum. Nihilominus tamen si prædictam solutionem ad obitum usque distulerint, & illa ultra non expedita decesserint, ad bona spiritualia, & suffragia pro illis Ordinem non teneri decernimus.

13. Non dissimilia Fratribus ægotantibus præ-

cipimus, videlicet, ut instante sumptione Viatici, si non sit periculum in mora præfatum Inventarium, & abdicationem ab omnibus sibi ad usum concessis ante Viaticum faciant adstante indeficiente Confessario ab ipso de licentia Prælati assignato, in hoc autem postrema paupertatis alienatione, ita se destituant universis bonis ad usum, & sic illa Religioni subiciant, ut veros se ostendant amatores inopiæ, nihil sibi omnino retineant, nil silentio prætereant, ordinemve latere præsumant, si quid debeant, vel ipsis debeatur exponant, ne quid quoquomodo præmittant, quod conscientiam redigat in angustias. Summopere tandem caveant ne illos spes aliqua vitæ decipiat, quominus omnia tota sinceritate cordis adimpleant.

14. Finitum itaque Inventarium cum Confessario subscribant, quod deinde obseratum, sigillatumque Commendatori, & Depositariis tradatur, qui foris id pariter subscribentes ad commune depositum referant, ubi usque ad Fratris obitum custodiatur, quo superveniente, non quidem clanculum, sed solemniter volumus aperiri a Prælato coram Depositariis, & suprascripto Confessario, qui omnem refectionem ejus in ipso inventario referant, & subscribant, quo possit authentice constare de bonis usualibus Defuncti, & debitis, si quæ fuerint, ut de inventis apud illum cum æquitate solvantur, & residua juste distribuantur eis, ad quos jure communi, & nostrarum Constitutionum sine dubio pertineant.

15. Proinde igitur declaramus non posse Infirmum Fratrem ab invaletudinis initio de iis, quæ ad usum habet, disponere in beneficium Conventus, vel in manibus Prælati, etiam Magistri Generalis locare, nec in favorem Ordinis reponere, aut reservare, atque adeo multo minus alicui personæ Sæculari committere, aut concedere, sed omnia in Inventario palam scribere, & manifestare, ne injuriam faciat paribus ad ejus utensilia jus habentibus ex æquitate, & justitia, vel ex nostrarum Constitutionum dispositione, qui vero secus egerit, ex nunc proprietarium declaramus.

16. Ad hoc autem universis Fratribus ab ægrationis exordio usum bonorum omnium sibi a Superioribus concessum interdiximus, nisi ad eadumtaxat, quæ ad morbum sublevandum ipsis opus fuerint, ita videlicet, ut si aliquid absolute, vel sub conditione obitus, alicui donaverint, aut valetudinis intuitu sibi reddendum tribuerint, similiter declaramus in proprietatem incidere: quo circa universis Superioribus in virtute Spiritus Sancti, & Sanctæ Obedientiæ præcipimus, ne prædictis ad id licentiam indulgeant.

17. Procuratoribus denique cujuscumque domus nostræ negotia gerentibus omnino præcipimus, ne aliquando de redditibus, & quibuscumque aliis bonis pro suo munere jam receptis, quidquam penitus apud se retineant, sed quamprimum Commendatori, & Depositariis manifestent, ac tribuant, ut Deposito Conventus inferatur sub pœna gravioris culpæ ad Superioris arbitrium.

CAPUT III.

De Voto Castitatis.

1. Sicut Regularis vita paupertate, & obedientia perficitur, ita castimoniam voto decoratur. Ut ergo discant Fratres, quantum eos Votum Castitatis adstringat, illud esse sciant novam quamdam obligationem, quam sibi quisque imponit ad omnem continentiam sub onere Sacrilegii servandam, unde jam eis licebit agnoscere quantis vinculis post Votum teneantur ad pudicitiam, quam si temerent, non eorum tantum frangitur Deo facta promissio, sed etiam lex Divina, &

interdum humana, idcirco solertissime studeant, ut mentis, & corporis puritatem custodiant, qui in uno crimine tot reatus inveniunt.

2. Ut autem ab omni se diabolica fraude teneantur, statuimus in primis, & in Christi vice-ribus suademus ne ab eorum oculis, & manibus decendant consilia S. P. Nostri Augustini quibus in Regula eos salubriter ad observantiam pudoris instituit. Quando enim in via procedunt simul eis ambulare præcipimus, & cum pervenerint, quo tendunt, simul inviolabiliter stare, ut alter alterum, quem vereatur testem semper habentes suam invicem pudicitiam custodiant. In incessu, & statione nihil gerant, quod pudorem non sapiat, aut eorum Sanctitatem dedecet. Oculos semper a sæculi vanitatibus avertant, & ita dimissos ferant, ut aliquando non incidant in obiecta feminarum, ubi laqueum inveniant, quas etsi videre non prohibeantur, eas tamen appetere, vel ab ipsis appeti velle criminofum est. Non dicant, vel exilliment se habere animos pudicos, si habeant oculos impudicos, & libere undequaque vagantes, quia impudicus oculus impudici cordis est nuncijs, eorum semper sint casta, & pura alloquia, gestus non fracti, nec soluti, aures non otiosas, non scurrilibus, non inhonestis intentas, sed sensus, & omnes eorum actus ita compositi, ut interiori animi puritatem redoleant, feminarum consuetudinem, & familiaritatem maxime vitent, nec etiam inter piissimas nimis de se, vel ipsis credendo sub pietatis colore versentur, quas proinde caventes non nisi rarissime, breviterque visitent, imo tantum cum sola urgeat necessitas, aliter enim non reputent non decere, nec sine magno discrimine admitti.

3. Nullus Frater prophana cantica, nec impura poemata, nec libellos de rebus amatorijs, vel qui petulantiam resonent quacumque ratione componat, legat, cantet, neque apud se retineat sub pœna gravioris culpæ, verbis etiam lubricis, æquivocis, aut vanissimis amasiorum fabellis nemo utatur, alioquin a Prælato puniatur ex merito feminarum, insuper tripudia, ludos scenicos, aliaque festiva, & inania sæculi spectacula velut Babylonis idola severissime vitari præcipimus.

CAPUT IV.

De Voto Redemptionis.

1. Super tria prædicta vota essentialia, quæ omnibus Religiosis sunt communia, quartum sibi, Ordo noster adhibuit circa Redemptionem Captivorum, vi cujus sic ad animarum lucra, & libertatem spiritualem totam dirigit Redemptionem sensibilem, ut pro redimendis animabus a periculis abnegandæ fidei, & damnatione perpetua omnes suos Fratres vinculis, sanguini, vel etiam morti subiciat.

2. Sed quia hæc Ordinis charitas plus indiget expositione, quam legibus, idcirco ne lateat Fratres, quod, qualeque sit hujusmodi Votum illud esse declaramus, promissionem quamdam voluntariam, & absolutam redimendi Captivos a vinculis mentis, & corporis, tam auro, vel argento, quam sui traditione in pignus, si necesse fuerit pro salute animarum, & fidei abnegandæ periculis.

3. Ex hac ergo declaratione primo intelligimus omnes Fratres nostros ita Redemptioni fidelium Captivorum esse alligatos, ut non solum ad eam exequendam in effectu debeant esse perpetuo dispositi si ab Ordine mittantur; sed etiam ad colligendas elemosinas, aut quæcumque alia gerenda (si ad id a Prælatibus eligantur) sine quibus Redemptionis actus ad effectum duci non possit, qui enim fini se obligat, media pariter necessaria cogitur adimplere:

sciant

sciant autem ut in his debeant ex toto rigore Prælati obtemperare haud istis necessum esse, ut formali utantur præcepto, sed sufficit simplex, & pura voluntatis expressio, cum in materiam incidat, jam aliunde ratione hujus quarti voti obligantem.

4. Declaramus insuper hoc Votum essentialiter, quia nostrum Ordinem inseparabiliter in sua specie, & substantia constituit ex vi primæ institutionis, quam Sanctus Patriarcha Noster Petrus Nolacus Voti obligationem continere voluit, & expressit, a totoque Ordine sic intelligi, sicut ita perpetuo professi sunt Patres nostri, & opere compleverunt.

5. Nec putare debent illa verba si necesse fuerit Voti absoluti rigorem evacuare, aut aliquam speciem Voti conditionati constituit, quo aliquod illis præbeat effugium. Per illa enim sicut absolute volumus Institutum redimendi, & omnes ejus actus necessario suppositos ante sui traditionem in pignus, ita pariter absolute promittimus in obsequium fidei tradere nosmetipsos pro captivis in ejus abnegandæ periculo constitutis. Adhuc quippe implendum nulla est interposita conditio, quam possit expectare Votum, sed est protinus exequendum ubicumque periclitatur fides, & nostra solum traditione redimitur. Unde Fratres prædicta verba non ut conditionem accipiant, sed potius, ut expressionem, & declarationem, quod nempe Votum Ordinis præter Redemptionem absolutam Captivorum tendit ulterius, etiam absolute ad eam perfectissimam charitatem, ut Fratres nostri per sui traditionem, fidem, & animas redimant a necessitate, & periculo, & hoc semper, & ubique sine ulla conditione proficiant.

6. Ex natura hujus Voti iterum declaramus valde oportere Fratres nostros esse jugiter obsequio fidei devotos, & se in ejus actibus exercere, crebroque de illa explicitam professionem facere, ut cum casus adveniat, quo tam heroice pro illa se devovere, & usque ad mortem tradere oporteat nullo merore tepeſcant, sed se audacter, & valide objiciant. Inter Fideles insuper commorantes, dum pignoris tempus impletur, aut Redemptioni incumbunt, si de fide postulati, vel etiam (ut sapius contingit) de ipsius abnegatione pulsati, seu pro illa, & munere suo carceribus, & ærumnis afflicti fuerint, cogitare debent ad quam sortem illos Dominus vocare dignatus sit, ut suæ dilectionis, & fidei pugiles constitueret.

7. Demum pro Captivis tam vivis, quam Defunctis orare illis omni studio præcipimus; ut quos auro, & argento redimere non possunt, saltem orationibus eorum vincula satagent dissolvere, & in Purgatorii cruciatibus adjuvare.

CAPUT V.

De Silentio.

1. Cum ad observantias vitæ Regularis properemus, quæ legis Divinæ, & Votorum sunt ætemurale, & custodia, primo in silentio incidimus, quia juxta Prophetam est revera custos justitiæ, & (ut ait B. Jacobus) ita per silentium Religiosi efficitur, & qui non frænaverit linguam suam, ejus sit vana Religio.

2. Silentium ergo semper habeant Fratres nostri in Ecclesia, in Choro, Dormitorio, Refectorio, & Claustro. Post Completorium vero ubique libere præcipimus a signo, quod hyeme pro silentio fiet hora octava, æstate autem hora nona, quo etiam tempore a prandio usque ad Vesperas silentium esse statuimus.

3. Prædictis autem horis factis cum Cymbalo Conventuali signo univervis Fratribus injungimus, ut confestim ad proprias Cellas se recipiant, ubi altius, & profundius non a verbis solum, sed ab

aliis sensuum locutionibus, & actibus se abſtineant, & super illius diei gestis cum Deo, & corde loquentes, examen conscientiæ faciant de iis omnibus, quæ negligent, & indebite perpetraverint, si quæ vero invenerint deploranda veniam a Domino impetrent. Quibus actis, & non aliter audeant se recipere in Requiem.

4. Si Fratri in Refectorio res aliqua opus fuerit, eam signo, seu brevi, & submissa voce postulet, ne Lectoris verbum, nec pabulum mentis impediat: Infirmi, & decumbentes, vel Hospites in Hospitio non adstringuntur silentio, illius tamen temporibus ita inter se sint remissa, & moderata colloquia, ut nullo strepitu silentibus officiant.

5. Fratres itinerantes in mensa silentium teneant, vel saltem vitent tumultuosa colloquia, ille vero qui major, aut dignior in Ordine fuerit, poterit loqui si libeat, & cæteris præstare licentiam extra Refectoriam. Cum Episcopis autem, & Magnatibus aliquando conviventes silentium reverenter, & religiose custodiant, quod quidem rumpere non audeant cum sibi per eosdem non liceat. Magister, aut ejus Locumtenens cunctis Fratribus secum prandentibus, Provincialis, ejus Vicarius, vel Visitator duobus tantum, & uni denique Commendator poterunt indulgere silentium. Fratres in confessione culparum de fractione silentii se humiliter accusent, & juxta meritum puniantur Commendatorum arbitrio.

CAPUT VI.

De Disciplinis.

1. Ut antiqua vitæ Regularis observantia non excidat, quam hæcenus Ordo sustinuit, firmiter stabilimus, ut in Vigiliis, quæ jejuntur, & per totum Adventum, & Quadragesimam, in quatuorque temporibus si fiat officium de feria Fratres nostri disciplinas virgarum recipiant, modus vero in illis servandus hic erit: finito Completorio, & recitatis *Pater noster*, & *Ave Maria*, & *Credo*, præparent se omnes Fratres, sicut moris est ad suscipiendam disciplinam detectis scilicet humero, vel scapulis, quo facto dicant, *Confiteor Deo*, Prælati quoque, aut ejus Vicarius, vel illis absentibus Hebdomadarius stans in medio dicat *Miserereatur vestri &c.* Deinde incipiat Psalmum *Miserere mei* tenendo Manipulum virgarum in manu, quo dorsum Fratrum verberare incipiat, & sic prosequetur usque ad *Gloria Patri* eos percutiendo in singulis versibus alterne a Choro, & ipso recitandis: Finito Psalmo subjungatur ab omnibus *Kyrie eleison*, *Christe eleison*, *Kyrie eleison*, *Kyrie eleison*, & Prælati dicat *Pater noster*, quo tacite recitato adjiciat.

℟. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℟. Salvos fac servos tuos Domine.

℟. Deus meus sperantes in te.

℟. Dominus vobiscum,

℟. Et cum Spiritu tuo.

O R E M U S.

Deus, cui proprium est misereri semper, & parcere, suscipe deprecationem nostram, ut quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

2. Dum autem Psalmus, Versus, & Oratio recitantur circumeat Prælati, vel Vicarius ejus aut Hebdomadarius Ordines Fratrum utriusque Chori incipiendo a parte superiori, quæ est in dextero, & prosequendo ab inferiori parte sinistri donec Psalmus cum Versibus, & Oratione finiatur; si autem adeo magnus sit Fratrum numerus, ut unus se cito expedire nequeat, Vicarius, vel alter ex antiquioribus incipiat a superiori parte Chori sinistri donec Fratrum Ordines semel tantum uterque decurrat.

3. Hanc utique antiquam, & Regularem Ordinis observantiam sic inviolabiliter præfatis diebus exerceri desideramus, ut Prælatum eam prætermittentem, aut ferentem prætermitti dignissime reddamus ab officio suspendum per sex menses. Præter has virgarum disciplinas a Prælatis infligendas, alias a se ipsis recipere volumus Fratres nostros, ut etiam se ipsos viriliter castigationibus emendent.

4. Singulis itaque sextis feriis totius anni, atque etiam quartis tempore Adventus, & Quadragesimæ peracto completorio si adhuc dies superest paulisper spectata nocte omnes Fratres conveniant in Ecclesia, vel Choro, & ibi communem exercent disciplinam recitantibus interea Prælato, vel ejus Vicario, & Conventu alternatim prædictum Psalmum semel, & iterum, vel secundum Domorum consuetudinem cum Versibus, & Oratione præfixis ab ipso Prælato dicendis: alias autem disciplinas, quibus ultro, & privatim Fratres afficiuntur si prudenter, & cum discretione fiant non solum laudabiles reputamus, verum & salubriter suademus.

CAPUT VII.

De Jejniis.

1. Sane per medium Corporis alitur vita mentis, quam pinguiore facimus, quo plus squalore languescimus. Ne ergo Fratres nostri a sobrietate deficiant, sic eos in ratione victus instituimus. Primo enim a Pascha usque ad primam feriam secundam exclusive, quæ diem omnium Sanctorum immediate subsequitur, & a die Natalis Domini usque ad Dominicam Quinquagesimæ inclusive bis eos refici constituimus, exceptis tamen diebus Rogationum, sextis feriis, vigilia Pentecostes, jejniis quatuor temporum, & iis, quæ ab Ecclesia, vel Ordine nostro fuerint instituta, vel in Diæcesibus, aut locis intra præfata tempora observentur.

2. A feria vero secunda inclusive, quæ diei primæ Novembris, & festo omnium Sanctorum proxima succedit usque ad Natalem Domini exclusive, & pariter a feria secunda Quinquagesimæ inclusive usque ad Pascha Resurrectionis Domini exclusive continuum teneant jejunium, & servata consuetudine Ecclesiæ comedendi post Vesperas in Quadragesima, reliquis diebus prandeant Nona dicta, exceptis tamen in utroque tempore diebus Dominicis.

3. Præter hæc autem jejunia aliaque per annum, quæ sunt de præcepto Ecclesiæ, jejunandum est, etiam in diebus Rogationum, & omnibus sextis feriis excepta illa, in qua festum Natalis Domini incidit: insuper & in vigiliis omnium festorum Beatissimæ Virginis Mariæ, tam Ordinis, quam Ecclesiæ, in vigilia quoque S. P. N. Petri Nolasci, ac denique diebus illis, quibus consuetudine aliqua, vel Constitutione locorum, aut Diæcesum fuerint indicta jejunia.

4. Quo ad qualitatem victus in omnibus jejniis observandam sic enixe disponimus. Primo enim in Quadragesima Fratres nostri a lacticiis, aliisque cibis in ea prohibitis abstineant. Circa alia verò jejunia firmiter stabilimus, ut in omnibus per annum ab Ecclesia constitutis, vel in Diæcesibus, aut locis lege aliqua, vel consuetudine firmatis, in feria secunda, & tertia Quinquagesimæ, unde incipit Quadragesima nostra, & per totum etiam Adventum Ordinis, atque omnibus sextis feriis per annum, quadragesimali cibo reficiantur, præterquam tempore Paschali, vel ubi Pisces commode haberi non possint. Quam tamen exceptionem ad eas Provincias, Regiones, & loca non extendimus ubi apud seculum aliqua de prædictis jejniis suo cibo Quadragesimali lege, vel consuetudine, servantur.

5. Fratres tamen itinerantes omnia jejunia

de præcepto Ecclesiæ, aut aliter speciali lege, vel consuetudine obligantia quantum sit possibile semper observare præcipimus, nec victum quadragesimalem dimittere. In reliquis autem diebus jejniis, præterquam in Adventu Ordinis bis eos refici sustinemus, modo alimentum quadragesimale non deserant.

6. Quando dies S. P. N. Petri Nolasci, aut aliud præcipuum festum in feriam sextam incidit, Prælatum in jejniis dispensare posse concedimus, sicuti, & cum debilibus, vel quovis aliquo labore, aut literarum studio occupatis.

7. Mortificationes publicas, & voluntarias a Fratribus in Refectorio fieri, modo sint præteriter, & cum benedictione Prælati, permittimus & laudamus. Denique feria sexta majoris Hebdomadæ in pane, & aqua semper inviolabiliter jejunabitur.

CAPUT VIII.

De Collatione.

1. Tempore, vel die jejunii hora congrua ad collationem Cymbalo Conventuali a Vicario pulsatur, congregatis autem fratribus, Refectorarius Campanella Refectorii Signum faciat, ut intrent. Quibus ingressis, Lector dicat, *Benedicite*, & Hebdomadarius benedicat dicens: *Largitor omnium bonorum benedicat potum servorum suorum*. Conventus vero respondeat, *Amen*. Dum Lector legit poterunt Fratres bibere, & finita Lectione signo Vicarii, Prælati, aut Præsidentis, dicat ipse Prælatus, aut Vicarius, vel eorum absentia Hebdomadarius, ad quem ex officio pertinet; *Adjutorium nostrum in Nomine Domini*, & Conventus respondeat, *Qui fecit Cælum, & Terram*, ac deinde omnes pariter egrediantur. Qui sero ad hanc observantiam veniens introire velit nullam spectet Prælati, aut Præsidentis licentiam.

2. Si vero aliquis collationi non interfuerit, nec biberit cum communitate, & cum benedictione, & venia Superioris, posteaque bibere voluerit, postulet a Majori licentiam, & collationem, seu observantiam in ea bibendi cum benedictione, compleat & merito.

CAPUT IX.

De Cibo.

1. Hora competenti ante prandium, vel cœnam pulsatur a Vicario ad primum signum conventuale Cymbalum, quo audito convenient omnes Fratres ad Vestibulum Refectorii, seu locum qui dicitur *De profundis* suas undequaque sedes habentem, ubi si lavacrum extiterit debito ordine manus abluant, ac denique sedente expectantes cum omni modestia, & silentio secundum signum minime dandum, nisi cibus fuerit paratus, illo autem facto surgant omnes, & Prælato, aut eo, qui præest Psalmum *De profundis* incipiente, illum alternis Versibus pro benefactoribus Defunctis prosequantur, quo finito Refectorii nolam in signum ingressus Refectorarius pulset, cum vero jam intraverint Prælatus signum faciat, atque Hebdomadarius benedictionem inchoet dicens *Benedicite*, & Conventus respondeat *Benedicite*, & prosequantur benedictionem juxta Ritum, & formam Ecclesiæ.

2. Nemo Fratrum in Conventu existentium præter Servitores, Lectorem, Domusque Custodes in prima mensa deficiant, nisi prius obtenta licentia. Quot quot autem remanserint, comedant in secunda, itaut tertiam facere non liceat. Incepta prima mensa nullus Refectorium ingrediatur absque licentia Prælati, aut qui ejus loco præsideat, non ministretur cibus Majoribus, aut Ministris, qui non apponatur Conventui, nisi Valerudinarii sint, quibus aliqua ciborum, & condimenti diversitas permittitur, vel quibus alias harum Constitutionum Jure fuerit indultum, Frater non mittat cibum ad Fratrem, ex-

cepto

cepto Prælati, aut de licentia, & permissione illius, cæterum sibi data ex utroque latere assidenti poterit impartiri.

3. Commendatores Conventuum semper in Refectorio comedant, & reficiantur de communi cibo Conventui præparato. Refectorio etiam Infirmaria, atque Hospitum Receptores intersint, nisi assentia Infirmorum, aut Hospitum eos extra illud comedere cogat, vel aliunde Prælati ex alia simili causa rationabiliter dispenserint.

4. Nunquam incipiant comedere Fratres in Refectorio, nisi prævio signo Prælati, neque surgant a mensa, donec prandium, vel cæna finiatur, pariterque fiat signum ab ipso. Quod si Prælati, aut ejus Vicarius non adfuerit dignior ex parte Hebdomadæ Sacerdos signum faciat, si ante finem comestionis Fratrem aliquem urgeat necessitas egrediendi, non id nisi adepta licentia Superioris, dicitæ Præsidis exequatur.

5. Dum Fratres comedunt semper unus lector aliquo spirituali, & frugi pabulo mentes eorum reficiat, ne solæ fames fumant cibum, sed & aures esuriant verbum Dei. Quid autem legendum sit, Prælati, aut consuetudo decernat; Regula tamen S. P. N. Augustini omnibus sextis feriis indeficienter legatur, in omnibus vero lectioibus ira sit Lector assiduus, & in paucis frequens, ut neque eas nimia festinatione interjiciat, neque longo silentio protrahat, sed quantum sufficiat, & paululum quiescat alius: conclusa refectio ad Prælati signum dicat Lector: *Tu autem Domine miserere nobis*, & fratres respondeant: *Deo gratias*, & ad Cymbali pulsationem singuli surgant a mensa. Hebdomadarius autem sibi iterum dato signo a Prælati, incipiat gratiarum actiones, quas prosequatur Conventus juxta eundem Ecclesiæ Ritum.

6. Temporibus, quibus Fratres bis reficiuntur, carnibus utantur diebus scilicet Dominicis, tertiis, & quintis feriis. In sextis vero piscibus & cibo Quadragesimali vescantur, cum exceptionibus tamen superioris declaratis, & licet jam in Sabbatis ex præcepto Ecclesiæ a carnibus abstinemus, quia tamen in quibusdam Provinciis, & Regionibus aliquam partem super hoc, vel omnino contrariam consuetudinem novimus, idcirco propter honorem Beatissimæ Virginis Mariæ matris, & Fundatricis nostræ in dicitis Regionibus, Provinciis, & locis Fratribus nostris absolute præcipimus, ut in die Sabbati penitus ab omni esu carnium abstineant, aliis denique diebus scilicet feria secunda, & quarta pariter a carnibus temperent juxta usum, & consuetudinem nostrarum Provinciarum in Ordine.

7. Nulli fratri, ubi Conventum habuerimus liceat extra illum comedere, nisi de licentia Prælati, quam raro concedi volumus. Tempore jejunii duæ porciones ministrentur Fratribus juxta qualitatem temporis, & jejunii, quibus insuper apponatur obsonium ex leguminibus, oleribus, aut victu ejusmodi confectum. Patimur subinde Prælatum eis quidquam aliud adhibere, prout opus esse judicaverit, domusque facultas permiserit, cui item præcipimus, ut in dies Natalis Domini tribusque sequentibus in festo Epiphaniæ, ac triduo Paschæ, & Pentecostes, arque etiam in S. P. N. Nolasci, & Beatæ Virginis Mariæ de Mercede solemnibus in hujusmodi celebratum honorem portionem duplicem altera solitam universis Fratribus elargiatur, præmittens aliquod edulii genus quo mensam incipiant, & postremo superaddens pulmentum quo illam finiant. Hæc autem Cibariorum ratio (uno prædictorum tantummodo ferculorum adempto) in solemnitatibus etiam Circumcisionis, Corporis Christi, Assumptionis, & Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, triumque nostri Ordinis Sanctorum Raymundi Nonnati, Petri Paschæ, & Armengaudi ab ipso omnino servetur.

8. Nec solis Fratribus hanc præfatis diebus humanitatem fieri desideramus, sed & pauperibus ad Domus nostras accedentibus, quibus non tantum diebus singulis elemosynam frangendo panem esurientibus cum Propheta, verum etiam in celebritatibus istis largiorem charitatis alimoniam erogari præcipimus.

9. Si Commendatores, seu Prælati Conventuum a Refectorio frequenter abfuerint, vel Fratrum quempiam, sive Præsentatum, sive Magistrum crebro abesse permiserint officio, & commenda priventur.

CAPUT X.

De Vestitu.

1. Fratres nostri vestes laneas, & omnino albas semper, & ubique ferant in honorem puritatis Beatissimæ, & immaculatæ Virginis Mariæ Matris nostræ, ac signum interni candoris animi, quem in moribus profiteri tenemur, non lineis, sed lanea tunica utantur ad carnes nisi in valetudinis gratia Prælati dispensaverit, reliqua vero interiora indumenta dommodo etiam sint semper, & omnino alba, poterunt esse linea, lanea, seu pellicia, quibus superindui posse concedimus tunicam laneam usque ad genua honestatis causa demissam.

2. Superior tunica sit rotunda, & nullatenus pro parte anteriori aperta, & ita longa ut fluat circa plantas pedum, scapularium tantisper sit brevius, cappa tunica æqualis: caputium ita breve omnibus esse præcipimus ut pro parte anteriori medium pectoris parumper, aut pene nihil excedat, & cuspis ejus a posteriori vix a cintorio transeat; pars vero, quæ caput operit ita prædictæ sit magnitudini congrua, ut facile capiti, vel humeris semper composita adhæreat, nec supra dorsum, & scapulas hinc inde præ magnitudine decidat.

3. Frater autem, qui profanis quomodolibet indumentis utatur, & tam interius, quam exterius non omnino albis, aut in materia, forma, vel arte sæculum redolentibus, seu prædictæ Constitutioni adversantibus reclusioni sex mensium, & pœnæ gravioris culpæ subiaceat.

4. Omnes Fratres nostri extra domum scuto, vel stemmate Ordinis in cappa, seu scapulario, sub pœna gravis culpæ semper insigniti procedant: Tunicam exteriorem subter scapularium præcingant zona nigra ex corio quam nunquam mutant in laneam, lineam, vel olivatam, nec arte aliqua curiosam, sed sit simplex, & ita longa, ut juxta Scapularii mensuram pendeat.

5. Chirothecas, & ocreas omni tempore, etiam viatoribus interdiciamus, lacerna modo sit penitus alba ad injuriam frigoris, & pluvie propulsandam equitantibus se munire permittimus. Ad operiendum caput etiam itinerantes semper utantur galero nigro, & honesto, & aliud quodcumque sæculare operimentum, quamvis & album maxime vitent.

6. Commendatoribus insuper enixe præcipimus, ut omnibus suis Fratribus tam interius, quam exterius necessaria indumenta suppeditent. Qui autem ab aliquo postulatius concedere recusat, puniendus veniat in Capitulo Provinciali ad arbitrium Diffinitorii, & Magistri; ipsi tamen, & universis Prælati localibus specialiter præcipimus sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ in Capitulo quamvis sint Præsentati, aut Magistri, & in suo triennio habitum novum, & integrum universis suis conferant Fratribus professis tam Presbyteris, quam Clericis, & Laicis absque ullo discrimine, neque eos veteri aliqua ratione destituant, de quo Testimonium authenticum sibi a Conventu exhibitum deferant inviolabiliter ad Capitulum, quo eos hanc Constitutionem complevisse probetur: quibus denique simili-

ter injungimus, ut nihil indumenti sibi parare audeant ex bonis Conventus, nisi illud etiam communiter Fratribus dispensaverint sub pœna privationis officiorum, & vocis activæ, & passivæ.

CAPUT XI.

De Lectis.

1. Ne in lectulis, aut stratis præter naturæ debitum studeamus refoceri deliciis, universis Fratribus constituimus ut nunquam nudi dormiant, sed tunica, caligis, ac zona præcincti, neque in Dormitorio Cellis, & ubilibet intra claustra cum duobus lintheaminibus jaceant, sed uno contenti sint, cum illud habere voluerint, qui autem in prædictis Cellis duo postulaverit aut habere præsumperit, uno die in pane, & aqua jejuret.

2. Singuli Fratres singulas habeant Cellas in Dormitorio, & quilibet eorum in proprio lectulo singulariter cubet sub pœna gravioris culpæ minime a Prælo relaxandæ. Tegumentis lancis desuper utantur, & super Cultras feno, vel paleis, & ad summum lana resectas, aut super alia viliora, & asperiora stramina recumbant, ceterum extra Monasterium jacere poterunt, sicut eis fuerit stratam, ne gravamen inferant hospitibus.

3. Nemo excepto Magistro Ordinis habeat specialem locum ubi jaceat separatam a Cellulis Dormitorii, nisi propter rerum Custodiam, ut sunt Commendatores, & Sacristæ, quibus extra Dormitoria Conventus eorumque Cellarum Ordines in alia peculiari eo tantum sine pernoctare concedimus. Hujusmodi vero Custodes secum habeant honestos Fratres ad custodienda prædicta; Hospitalibus autem secundum Judicium Commendatoris provideatur. Præsentem denique Constitutionem firmiter prohibemus, sub pœna gravioris culpæ minime relaxandæ, ne Frater aliquis ubi Conventum habuerimus, extra illum pernoctare audeat, quavis ratione, vel causa.

CAPUT XII.

De Rasura.

1. Fratres Rasuram, & tonsuram Capitis in cunctis non nitorem, aut cultum quin potius abjectionem, & quasi decus reputent. Hinc ergo universis expedit ut eam sibi modeste adhibeant non ad placitum oculi, sed ad contemptum, & humilitatis arbitrium. Rasura itaque sit desuper non modica, neque in omnibus corona æqualis, sed juxta magnitudinem capitis sic rasa per circuitum, ut inter ipsam auriumque summitatem tres tantum digitos Capilli desuuant. Barba etiam ita abradantur, ut nihil faciei, neque mento prominat.

2. A Pascha usque ad festum omnium Sanctorum habeatur Rasura quintadecima quaque die; alio vero tempore semel tribus hebdomadis, aut juxta consuetudines Provinciarum, ita tamen, ut propter festa solemnia per dies aliquot eam differri, vel præveniri liceat. Ad illam autem ita omnes Fratres indispensabiliter suo ordine accedant, ut nemo tonsorem a communi Rasura, ut in Cella radatur, distrahere possit.

CAPUT XIII.

De Infirmis.

1. Nulla sane salubrior Regularibus disciplina, quam manus Domini cum ab ipso tangimur, & corripimur, hæc autem licet de his non sit, quæ ultro eliguntur, aut præcipiuntur ab Ordine libenter tamen excipiantur a Fratribus, ut castigationes hujusmodi in omni patientia, & longanimitate sustinentes, fructum inde cum gaudio reportent, &

possideant; Prælati vero ante omnia districtè præcipimus, ut Infirmis Fratribus opportuna, ac debita Sacramentorum collatione provideant summo studio, operaque nitentes, ut quam primum in languorem inciderint, vel intra unius ad summum, sive duplicis diei spatium penitentia susceptione ad secundam post naufragium tabulam confugiant; in gravi deinde vitæ discrimine constituti adhibito (si non sit moræ periculum) medici consilio Sacram Viatici Refectionem percipiant, ac denique instante mortis articulo priusquam sensibus destituantur salutariter extremæ unctionis præsidio muniri contendant.

2. Cunctis Fratribus in Domino commendamus, ut debita Infirmis officia charitatis exhibeant, & maxime Commendatores, quibus ita specialiter incumbit Infirmos recreare, ut citius convalescant juxta Regulam S. P. N. Augustini, unde sub pœna privationis officii, vocisque activæ, & passivæ eisdem præcipimus ne quovis titulo, vel prætextu necessaria, tam victum, quam medicamentum, atque honestum etiam lectulum Fratribus denegare audeant.

3. In Domibus nostris sit Infirmaria, vel locus specialiter deputatus, ubi jaceant, & comedant Fratres ægotantes, & debiles, huic autem præfici debet unus Frater Presbyter charitate, & prudentia sollicitus, quem obedienter in omnibus adjuvet alius Frater Laicus, aut Clericus: si vero Infirmaria non fuerit, atque Infirmus in propriis Cellis decumbere oporteat, nihilominus Commendator sub eisdem pœnis eundem Fratrem Presbyterum, & socium similiter ad ægotantium curam semper, & ubique designet, ex quibus ille major, hic minor Infirmarius sit, & dicatur, omniaque Infirmorum obsequia simul respective percipiant; ceterum ut impensius agris Fratribus inservire valeant, & in nullo ministerio ipsis deficere sub insidicis pœnis Commendatoribus præcipimus, ne dum ægotis actu ministraverint ratione aliqua illos impediant, seu quocumque Conventus munere distrahant.

4. Insuper ut prædicat infirmarius major post ea, quæ opus fuerint ægotantibus custodire, ac de illis suo tempore providere, locum specialem habeant, ubi universa utensilia, & alia quæcumque pro eorum cura, & recreatione reposita sint, cujus quidem loci duæ sint claves, quarum unam habeat Commendator, alteram vero præfatus infirmarius major.

5. Sed ne ibidem custodita dispareant, Commendatori præcipimus sub pœna privationis vocis activæ, ne inde, vel minimam supellestem, aut quidquam aliud extrahant pro Hospitibus, sive alio quocumque fine, vel causa, neque id dictus permittat Infirmarius. Quod ut firmius servetur, statuimus, ut hæc omnia Infirmorum bona Infirmarius accurate conscribat in libro speciali quamprimum fuerint illis applicata (ut suo loco dicetur) aut alioquin quovis modo comparata. Quem utique librum Visitator in sua vitione judicet, & si prædicta bona graviter invenerit a Commendatore dissipata, vel in usus Hospitum conversa, illum ipso facto ab officio absolvat, atque Infirmarium etiam pro merito permissionis respective corripiat.

6. Cum Infirmorum solatium sint piæ Fratrum vitiones, quibus ad susserentiam, illiusque mercedem exigantur; idcirco universis Commendatoribus primo subjungimus, ut singulis diebus indispensabiliter omnes suos Infirmos vident, & cum ipsis non solum Fratris sed & Patris, & Pastoris officium exercent; Reliquis unum Fratrem in Christo consulimus, ut hoc frequenter charitatis munus obire non desinant illud Apostoli præseferentes: Quis infirmatur, & ego non infirmor?

7. Ægotantes poterunt vesci carnibus semper de consilio medici, & benedictione Prælati, prout eorum exegerit infirmitas. Nulli Religioso quantumvis male habenti causa infirmitatis detur licentia exeundi ad Sæcularium Domos,

ut ex ea ibidem recreetur; qua de re conscientia Prælatorum onerantur. Si Commendatorem infirmari contigerit, in Cella ubi bona domus custodiuntur, poterit curari, Fratribus leprosis intra septa sui Conventus seorsim ab aliis medela adhibeatur, quæ si ob Domus angustiam, aliamve legitimam causam inibi exerceri non possit, de licentia Magistri, seu Provincialis ad aliam Domum Ordinis ad hoc idoneam transferatur.

8. Quilibet autem Frater, qui in ægritudine deciderit per se, vel per aliam personam a Prælato benedictionem postulet ad sui curationem. Qui tandem gravi imbecillitatis incommodo, tenuive valetudine non laboraverit, neque ciborum langueat fastidia, jejunia nequaquam præmittat, nec specialem quærat victum, sed communi refectio- ni subiaceat. Fratres valetudinarii, & senes jam confecti semper, & ubique baculos gestare poterunt, quos reliquis omnino interdiximus.

CAPUT XIV.

De Minutione.

1. Minutionem quater in anno fieri posse permitimus juxta Textum Canonis de statu Monachorum cap. Cum ad Monasterium: primam in Mens. Septembris, secundam post Natale Domini, tertiam post Pascha, & quartam circa festum S. Joannis Baptistæ.

2. Declaramus autem Fratres non teneri prædictis temporibus, aut per annum uti minutione, nisi de consilio Medici, qui vero sine illo voluerit minutionem facere, nequeat eam eligere, nisi in præfatis anni stationibus.

3. Minuti extra Refectorium in Infirmaria comedant, triduoque prout debilitas exigat recreentur. Causa vero minutionis poterunt vesci carnibus, si expedire visum fuerit, exceptis diebus ab Ecclesia prohibitis. Hoc autem tempore minutos choro, & silentio non adstringimus.

CAPUT XV.

De Capitulo Quotidiano.

1. Præcipua totius vitæ Regularis exercitatio ea est, quam in Capitulis culparum exequimur, ubi nos ipsos de negligentis contra Regulam, & Constitutiones perpetratis humiliter accusamus, & salubriter a Prælato correcti observantiores evadimus. Cum itaque ab observantia, aut omissione hujusmodi Capituli integritas, vel ruina regularis disciplinæ dependeat, ea propter universis Commendatoribus in Christi visceribus, imo sub ejus ira, & indignatione, & sub pœna privationis officii, ac utriusque vocis enixe præcipimus, ut ad minus qualibet feria sexta vel opportuniore die cujuslibet hebdomadæ prædictum Capitulum post completorium celebrent.

2. Congregatis igitur Fratribus, & in Capitulo, vel choro ordine suo sedentibus, dicat Prælatus: *Benedicite Patres: Dominus sit vobiscum, & omnes paulisper inclinati respondeant, Amen.* deinde proponat Fratribus, quibus quantisque officiorum vinculis teneantur orandi pro Sanctissimo D. Papa, & felici statu Ecclesiæ, pro Rege, & Regni prosperitate, pro statu, & Prælati Ordinis, pro Benefactoribus ejus vivis, atque Defunctis, & etiam pro captivis, quibus specialiter, ex Instituto adstringimur tam in vinculis, quam in Purgatorio constitutis.

3. Hac itaque monitione præmissa, surgat Prælatus, & dicat: *Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus propter nomen Sanctum tuum vitam æternam:* Et chorus respondeat, *Amen,* & subscripti alternis versibus Psalmi recitentur.

Psal. 122.

Ad te levavi oculos meos, qui habitas in Cælis. Ecce sicut oculi fervorum in manibus Dominorum suorum.

Sicut oculi Ancillæ in manibus Domine suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.

Miserere nostri Domine, miserere nostri: quia multum repleti sumus despectione.

Quia multum repleta est anima nostra opprobrium abundantibus, & despectio superbis.

Gloria Patri &c. Psalm. 129.

De Profundis clamavi ad te Domine, Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit.

Quia apud te propitiatio est, & propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus, speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum Redemptio.

Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus. Requiem æternam &c.

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℞. Sed libera nos a malo.

℣. Oremus pro Domino Papa.

℞. Dominus conservet eum, & vivificet eum & Beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in manibus inimicorum ejus.

℣. Salvos fac servos tuos, & ancillas tuas.

℞. Deus meus sperantes in te.

℣. Requiescant in pace.

℞. Amen.

℣. Dominus vobiscum.

℞. Et cum spiritu tuo.

O R E M U S.

Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus prætere super famulum tuum Papam nostrum, & super cunctas Congregationes illi commissas spiritum gratiæ salutaris; & ut in veritate tibi complaceat, perpetuum ei rorem tuæ benedictionis infunde.

Prætere Domine famulis, & famulabus tuis dexteram cælestis auxilii, ut te toto corde perquirant, & quæ digne postulant assequantur.

Omnipotens sempiterne Deus miserere famulo tuo Regi nostro cum prole Regia, & dirige eos secundum clementiam tuam in viam salutis æternæ, ut te toto corde perquirant, quæ digne postulant assequantur, & te donante tibi placita cupiant, & tota virtute perficiant, & Magistrum nostrum Generalem, & Provinciale, & Ordinem nostrum, & nos famulos tuos ab omni adversitate custodi.

Fidelium Deus omnium conditor, & redemptor animabus famulorum, famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut Indulgentiam, quam semper opraverunt piis supplicationibus consequantur, qui vivis, & regnas &c.

4. Hisce peractis Prælatus Novitios omnes egredi faciat a Capitulo, ut liberius possit proponere, arguere, & increpare, quæ ad honestatem, & correctionem Fratrum communiter, vel particulariter viderit expedire. Qua de re ipsi enixe suademus ne vereatur interdum singulorum culpas publicas, & graves signanter corripere, neque, ut unius crimini, & rubori parcat, totam communitatem vaga suspicione commaculet, & Fratribus rerum ignorantibus anam præbeat male in se invicem cogitandi; quæ

enim

enim iure, vel factio sunt publica, si prudenter oporteat ipse reus designatus publica oburgatione reprehendat.

5. Post hæc autem, ut ad iudicium de culpis regularibus, & manifestis defectibus procedatur, & propria accusatione innotescant, quæ Prælatus singula possit salubriter emendare, dicat ipse Fratres: Dicite culpas: quo audito surgant ordine suo incipiendo ab inferioribus primi, aut secundi Chori juxta dispositionem Prælati, qui prout libuerit inchoare Chorum eligere, Fratresve regulariter vocare poterit. Cum autem Frater steterit ante Prælatum fleat genua, & dicat *Pater veniam peto*: Prælatus vero: surge Frater, qui surgens, & stans parum inclinatus confiteatur culpas, & se accuset de defectibus manifestis contra Constitutiones, & Regulam commissis dicendo sic in genere vel alioquin expressius—Quod in omnibus non observo Regulam B. Augustini, nec Constitutiones Ordinis, non custodiendo silentium, nec recitando attente, & devote horas, & Divinum Officium tarde surgendo, & male legendo, & in essentialibus non obediendo corde, & opere, nec paupertatem Spiritus amando, nec honeste vivendo, nec ferventer Deum diligendo, ideo dico meam culpam, & peto misericordiam Dei, & vestram.

6. Si vero culpa talis sit, ut nedum verbo, verum etiam opere correctione indigeat, præparet se Frater ad illam, quam Prælatus, seu ille, qui præceperit infligat. Culpas autem, de quibus, & quando in hoc Capitulo se ipsos possint Fratres amplius, & ferventius accusare, vel debeant in Cap. 1. Dist. 5. declarabimus. Nemo tandem in Capitulo loquatur, nisi culpas dicendo, vel Superiori ad interrogata respondendo, nec alio stante, & loquente præsumat ad loquendum assurgere.

7. Etiam si Novitios ab hujusmodi Capitalibus arceamus, non propterea ab hac disciplina eos prorsus excludimus, quin potius desiderantes, ut in eius tyrocinio hac etiam institutione proficiant illorum Magistro præcipimus ut in Novitiatu semel quoque in hebdomada cum ipsis, & reliquis professis Clericis indeficienter simile habeat Capitulum, quo simul omnes correctionibus, & humilitate ædificet.

8. Finitis vero culpis prosternant se omnes, & dicant, *Confiteor Deo*: deinde Prælatus stans dicat *Miserere vestri &c. Absolutionem, & remissionem omnium peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens, & misericors Dominus Amen.* Deinde surgant omnes, & Prælatus dicat *Adjutorium nostrum in Nomine Domini, qui fecit celum, & terram, & sic solvitur Capitulum junioribus præcedentibus.*

DISTINCTIO QUARTA.

De accedentibus, & quomodolibet recipiendis ad ordinem.

Ad configurandam spiritualementem Ordinis ideam ex Institutis, & Votis præcedentibus conceptam jam viva saxa deligimus, quæ disciplinarum ratione polita, & fraternis charitatis nexibus apta ad fastigium perfectionis exurgant.

CAPUT I.

De examine vocationis, & qualitatibus nostrum Ordinem ingredientium.

1. Non credere omni spiritui, sed unumquemque probare diligenter, an ex Deo sit, Sanctus Joannes Apostolus monuit, cujus sane documento instructi universis Commendatoribus constituimus, ut quando aliquis nostrum Ordinem aggreditur, & ejus habitu indui postulat, assumpto secum Magistro Novitiorum vocationem ejus uterque caute, & subtiliter perscrutentur, quo scilicet Spiritu, qua mente regularem vitam eligat, quem sibi finem proponat,

num zelo melioris frugis, & ut Deo liberius famuletur, an potius levitate, vel humano aliquo affectu ducatur, vel an sæculi inopiam, & aliquas sui status ærumnas effugiat, quæ quidem ab eo prudenter extorqueant.

2. Rursus eum interrogent, quare nostrum potius Ordinem, & Institutum præ ceteris eligat, ubi plane ei arduas nostræ charitatis, & professionis semitas exponant. Ordinis austeritates, & Vota pure, & simpliciter detegant, & quantum præcipue, quo debeat animam suam tradere pro Captivis, usque ad sanguinem, & interitum.

3. Et antequam procedatur ulterius semel, & iterum moneant, ut Sacramentorum frequentia, & simplici observatione Deum pulset, quatenus si expediat hanc sibi voluntatem firmare dignetur; est enim fidelis, & nulli se denegat humiliter postulanti. Interim vero attendant sollicitè an hæc impleat, & quid inoperetur dilatio, quæ in falsa vocatione solet frangere motum in vera tamen urgere ferventius.

4. Sed quia sunt aliqui defectus ita patentes ad sensum, ut ob præstantiam, & decentiam status protinus eos debeamus advertere, nolumus iisdem labentes de vocatione, aliisque defectibus agitari, nec aliquod ulterius de ipsis examen fieri, sed solo primo sensuum iudicio compelli, ac omni expectatione vacuos illico a Commendatore dimitti.

5. Unde cunctis sequentibus ingressum nostri Ordinis denegamus cæcis videlicet, vel altero carentibus oculo, aut valde oculorum lumine laborantibus, claudis, gibbosis, graviter deformibus, caduco morbo, seu alio habituali patenti, & æque gravi languentibus, spadonibus, etiam & habentibus membrum aliquod principale mutilatum, & stolidos demum, & fatuos ab ingressu Ordinis interdicens, præcipientes Commendatoribus sub pœna privationis officii, & vocis utriusque, ne alicui de prædictis habitum concedere audeant, nisi aliunde appareat aliqua notabilis Religionis utilitas, quæ honeste vincat deformitatem, aut morbum, simulque cum eo dispensetur in scriptis a Provinciali, vel Generali Magistro.

6. Cum itaque Postulator habitus ab omnibus hujusmodi defectibus, & maculis immunis apparuerit, satisque de vera vocatione fuerit comprobatus, statim mittatur ad examinatores pro hujusmodi negotio a Provinciali deputatos, & eum non semel, sed iterum, & tertio de arte bene legendi latine, de mentis acumine, in genii dexteritate, & quam sit in grammatica sufficienti omni æquitate censeant, qui si illum ita deficientem ingenio, & latinitate reperiant, ut non eam sufficientiam calleat literarum, qua ad Sacros Ordines postulat Concilium Tridentinum, ipsum omnino reproben, si autem habilem invenerint iusto iudicio suscipiant. Quam utramque censuram non soli Prælato deferant, sed etiam Capitulo Conventus veraciter exponant, quo circa eorum conscientias strictissime oneramus. Cum Proceribus autem, & viris perillustribus, aut magnis fortunæ bonis, seu arte aliqua insigni pollentibus unde commodum ingens Religioni proveniat poterunt dispensare Magister, aut Provincialis in scriptis, & non aliter de exacta grammaticæ sufficientia, ita ut sit satis non dubium specimen proficiendi tempore, quod superfit ad Sacros Ordines suscipiendos.

7. Admissa igitur a Conventu hujusmodi approbatione Examinatorum, eligatur ab eodem per suffragia secreta unus Frater idoneus prudentia, & fidelitate commendabilis, qui sub nomine informantis procedat ad informationem de moribus, & vita, & omnibus aliis conditionibus, quas juxta Decreta Pontificum, & Constitutiones nostras habere debet quicumque accedit ad Ordinem, pro quo munere fideliter

obeundo,

obeundo, præter pœnas gravissimas, quibus infra constringitur jurare, ulterius volumus præfatum informantem in manibus Prælati se id peracturum secundum Deum, & propriam conscientiam.

8. Huic ergo sic jure, & fidelitate munito Prælati cum Conventu præbeat commissionem cum interrogatorio a se, & duobus, & aliis de Capitulo subscriptam, & pariter signatam, ac omni juris auctoritate publice roboratam. Ipse vero informans non statim procedat ad inquisitionem publicam, sed honori consulens, ac decori Parentum, & Consanguineorum, prius cum discretione, ac silentio cuncta interroganda ferventer, in quibus, si aliquod impedimentum sufficienti, & timorata personarum attestatione sibi revelatum fuerit ab omni statim inquisitione recedat. Sin autem nihil invenerit receptioni contrarium, publicam informationem aggrediatur ante, vel post ipsam receptionem juxta diversitatem personarum, ut statim dicetur. Quam rite, & debite, quovis tempore factam, ac demum clausam, & signatam Prælati tribuat, & ipse congregato Capitulo referari, & legi faciat, ut de illa censeatur an sit bene, vel male confecta, & habitas postulantis ad ingressum agnoscat.

9. De majoribus sexdecim annis semper fiat informatio authentica ante receptionem, nisi periculum sit in mora, in quo casu juxta specialem dispositionem, aut moderationem super hoc Clementis VIII. sufficere volumus prævium juramentum Commendatori præsitum a Postulante, quod nullis impedimentis ex eo singulariter interrogatis sit inhabilis ad nostrum Ordinem ingrediendum, modo ante professionem fiat plenaria informatio de illis.

10. Quod utique juramentum quodcumque fieri contingat semper adnotari præcipimus in libro receptionum Conventus, & a Commendatore subscribi, & pariter a jurante cum duobus Testibus per illum in sua subscriptione relatis, & subscribendis: circa minores autem sexdecim annis, licet sit melius, semper de illis ante receptionem inquirere, nullam tamen præcise informationem præviam, & juridicam, aut juramentum exigimus, nisi inquisitionem secretam. Cæterum probationis tempore illam fieri authenticam, & professionem antecedere præcipimus. Qualitates autem vel impedimenta, quæ juxta omnia jura, & respective pro singulis recipiendis, professurisve examinanda sunt ab informante ita in sequentibus ordinamus.

11. Primo enim inquirat de moribus, & antea vita, de Patria, & legitimitate parentum. Quo circa strictissime constitutum, ut Decretum ex Motu proprio S.D.N. Sixti V. exequatur, quod nullus ex Sacrilego, aut incestuoso concubitu usque ad tertium consanguinitatis, aut affinitatis gradum procreatus ad habitum in aliqua Religione admittatur (sub professionis nullitate alibi exprimenda) nisi solummodo in Fratrem Conversum, aut Laicum, omni seclusa ascendendi ad altiorum gradum in Ordine. Alios vero illegitimos, spurios, vel naturales, etiam alias legitimatos pariter ab Ordine prohibemus, nisi prius de illorum vita, & moribus, ac de universis aliis requisitis ad Ordinem fiat accurata discussio, & alioquin receptio illorum ex fide dignis testimoniis universæ Religionis commoda, & utilitati appareat pro futura. Qua de re in Generali, seu Provinciali Capitulo matura deliberatione habita, & unanimi Diffinitorii Provincialis, vel Generalis consensu, ad habitum approbentur.

12. Nihilominus tamen sic recepti ad gradus, honores, & dignitates Ordinis perpetuo sint inhabiles, nisi a S. Sede Apostolica indulgeantur, poterit autem Diffinitorium Provinciale, aut Generale in Capitulo congregatum,

cognita tamen prius, ex expressa in dispensatione specie illegitimitatis cum iis etiam ad præfatos honores, gradus, & dignitates obtinendas dispensare, præterquam ad Magistratum Ordinis, & Provincialatum, quam dispensationem, & ejus causam authentice in librum Ordinis referendam esse decernimus. Circa Fratres vero alterius Ordinis an, & quando debeant ad nostrum admitti Cap. 3. seq. specialiter declarabitur.

13. Deinde salubriter in Domino constitutum ne quis ad habitum quacumque ratione, vel causa admittatur, qui originem ducat a Maurorum genere, Saracenorum, Hebræorum, vel etiam Hæreticorum, aut aliorum quomodolibet a fide nostra aberrantium, & propter quam, directe, vel indirecte fuerint a S. Inquisitione puniti, quod tamen sic accipimus, ut Maurorum Illustrium, & Hæreticorum sobolem, eo usque vitemus, donec generationum tractu, vel aliter hæc labe, & nota deleta sit, & habitus fidei firmatus, ita videlicet, ut quod apud vulgus nullam infamiam, aut notam vililitatis, seu despectionis patiantur, neque eorum affinitates caveant, vel abhorreant aliæ stirpes ingenæ, reliquis autem supra quartam etiam generationem ingressum ad Ordinem intercludimus, si quomodolibet innouerit, & non sit penitus abolita eorum infamia, vel labe.

14. Ulterius ab Ordine nostro prohibemus omnino criminosos, vel furto, latrocinio, homicidio, vel quocumque alio simili, aut majori crimine, ejusve publica punitione, jure, vel facto infames. Item si sint conjugati, & a juribus Matrimonii canonice non soluti, si sint, vel fuerint servi, si tenentur ingenti ære alieno supra vires facultatum suarum, si reddendis rationibus ita fuerint obnoxii, ut ex hujusmodi causa lis, vel molestia eis jam illata fuerit, vel quam inferri timeatur.

15. Illum insuper, qui ratione abjecti muneris, & officii sit in Republica infamis, qui occulta aliqua infirmitate gravi contagiosa, aut incurabili laboret, qui sit lunaticus, vel ebrius, qui semel a nostro Novitiatu, vel alterius Ordinis fuerit expulsus, vel alias de jure ab ingressu Ordinis quomodolibet sit prohibitus, nullo modo ad habitum nostrum recipiendum esse firmiter constituimus.

16. Si quis autem informans de supradictis omnibus conditionibus, & requisitis examen non fecerit, vel aliquod in eo negligenter, aut malitiose prætermiserit, sive contra illa quidquam Prælati aliquis attentaverit, quocumque tempore id innouerit, illos voce activa, & passiva omnibusque officiis, dignitatibus, & honoribus perpetuo privatos, & ad hæc in posterum inhabiles declaramus.

17. Comperto igitur pulsantem nullo de præfatis impedimentis, vel aliis hucusque præmissis ineptum esse ad habitum, præcipimus Commendatori, ut si ille futurus sit Laicus, nequeat ipsum inducere, nisi prævia licentia in scriptis Magistrati, vel Provincialis sub pœna privationis officii, si vero Clericus, servetur consuetudo Provincialium, quando autem Magister, aut Provincialis per se ipsos aliquem ad Ordinem admittere, & induere constituerint, nunquam id per se solos absolute faciant, nisi de consensu, & suffragiis ejusdem Conventus, ubi prædictum Pulsantem induendum esse decreverint.

18. Sed ut in re tanti momenti omnis adhibeatur æquitatis industria, præcipimus universis Prælati sub pœna suspensionis ab officio per sex menses, ut neminem proponere possint Conventui, qui per suffragia admittatur ad habitum nisi pridie Capitulum singulariter moneri, & citari fecerit omnes Fratres habentes ad hoc suffragium, sequenti vero die eos capitulariter congregabunt sono Cymbali Conventualis post Vesperas, aut Matutinas, vel quando Fratres adesse domi frequenter consueverint, & non aliter ex quibus

duas ad minus tertias partes habentium suffragium debere Capitulo interesse firmissime constituimus. Si autem Prælatus aliquid secus fecerit; puniatur ad arbitrium Provincialis, aut Generalis Capituli, tunc autem si major suffragantium pars de admissione consenserit manebit postulans ad habitum approbatus, sin autem omnino repulsus, & nullatenus Conventui amplius proponatur.

19. Quo circa declaramus omnes Presbyteros, & Clericos nostri Ordinis jam Sacris initiatos suffragium habere in præfatis Capitulis receptionis ad habitum, & professionem emittendam. Tertiarii denique utriusque sexus non admittantur ad Ordinem, neque induantur habitu, nisi de expressa in scriptis licentia Provincialis, aut Magistri, & prævia informatione de moribus, & vita, facta, & approbata a præfato Ordinario, & sui Conventus Capitulo.

CAPUT II.

De forma interrogandi Testes ad informationes prædictas.

1. Cum informans juxta prædicta processerit ad interrogationem Testium, istos debet eligere de antiquioribus Populi: unde Novitius, vel suscipiendus ad habitum ortum duxerit, ab ipsisque juramentum exigere, quod in omnibus, de quibus fuerint interrogati, sine aliqua subreptione, obreptione, vel effectu veritatem ostendant, quos pariter moneant vi juramenti adstringi ad occultos etiam, ignominiososque defectus illius, de quo interrogandi sunt sub pœna perjurii aperientes. Hac ergo nominatione, & juramento præmissis sic unumquemque interrogabit.

2. Primo ut dicat quam ætatem habeat, & an sit Confanguineus N. Novitii, vel Postulantis habitum in Conventu N., an inimicitiam, aut simultarem exerceat cum ipso, vel Parentibus ejus, & Avis tam paternis, quam maternis, an eum comprehendat aliqua juris exceptio, qua prohibeatur, ut testimonium reddat de prædicto.

3. Secundo an cognoscat præfatum N. Novitium, aut Postulantem habitum in Conventu N., & sibi noti sint Parentes ejus, & Avi paterni, & materni; an sciat prædictum N. Filium esse legitimum ipsorum, & ut talem vulgo reputatum, & habitum; quod si respondeat esse illegitimum, ulterius de specie illegitimitatis interroget, an sciat esse naturalem, vel spurium, an autem incestuosum, aut Sacrilegum, natumve de ejusmodi Parentibus, & Avis usque ad tertium gradum.

4. Tertio an sciat, & noverit præfatum N. non esse de genere Judæorum, Maurorum, Hæreticorum, aut a S. Inquisitione punitorum causa Fidei directe, vel indirecte, & tam remote quam proxime, vel in quocumque gradu ducat genus a prædictis, vel ab aliis quomodocumque judiciali nota, punitione publica, jure, vel facto, seu abjecti muneris turpitudine infamibus, qui ut tales dedecore, ignominia, & fœdæ sobolis macula sint vulgo notati.

5. Quarto an noverit prædictum N. ad ingressum Ordinis esse liberum, & neque servum, neque originem trahentem a servis, neque ligatum vinculo Matrimonii, neque tali illius sponione, quæ Religionem ingredi prohibeat, an Parentes habeat gravi, vel extrema inopia laborantes.

6. Quinto an sciat præfatum N. esse virtutis studiosum, & pravis moribus non corruptum, neque crimen aliquod perpetrasse, ut furtum, homicidium, aut aliud simile jure, vel facto publicum.

7. Sexto an sciat prædictum N. non contraxisse debitum, quod dissolvere nequeat, nec implicatum esse ratiociniis, quorum causa lis aliqua, vel contentio ipsi possit inferri, aut illata sit, vel quam pariter in Ordinem derivandam fore timeatur.

8. Septimo tandem in illi sit notum præfatum N. bona frui valetudine, nullamque habere infirmitatem occultam, aut contagiosam, quibus omnibus ab informante suscepris; & pariter ratificatis a Testibus, atque ab iis, & informante subscriptis, reliquisque de jure servatis claudenda est informatio, & Capitulo Domus præsentanda, ut prædicatur.

CAPUT III.

De non recipiendis Fratribus alienæ Professionis.

1. Ut autem de Fratribus alienæ Professionis ad nostrum Ordinem suscipiendis specialiter, & expressius maneat declaratum, statuimus, & ordinamus, quod nullus de prædictis cujuscumque qualitatis, aut conditionis extiterit (exceptis Nobilibus Militaribus,) possit ad nostrum Ordinem admitti, quo circa taxatur Magistri Generalis ac etiam nostri Procuratoris Generalis in Urbe potestas; ne unquam ad transitum hujusmodi Fratrum valeant præstare consensum, sub nullitate receptionis, ac etiam Professionis ipso facto, sicut eadem ratione, & ut quisque in sua vocatione contineatur præfatis Magistro Generali, & Urbis Procuratori refringitur eadem potestas præbendi consensum super transitum nostrorum Discalceatorum ad nostræ observantia familiarum.

2. Si autem aliquis de prædictis alia via legitime receptus fuerit infra decem annos a sua receptione in Commendatorem nullatenus assumatur, neque in Ordine nostro aliquam administrationem exerceat.

3. Quod si quis Mendicantium, aut quicumque alius de Fratribus antedictis ad Ordinem nostrum, vel familiam fuerit translatus, & Professionem emisit Regularem, transferri nequeat deinceps a nostro Ordine ad alium absque Sedis Apostolicæ licentia specialem, & expressam mentionem faciendo de Statuto, & Ordinatione factis a Martino V., ut constat ex ejus Bulla plumbea, & originali, quæ extat Salmantica in qua pariter decernitur irritum esse, & inane quidquid secus scilicet, vel ignoranter a quocumque quavis auctoritate fieri contingat.

CAPUT IV.

De potestate, & forma tradendi Habitum.

1. Cum initiare ad Ordinem, & illius habitum tradere sit actus potestativus, proinde ne defectu facultatis sit aliquando irritus, vel inanis præfenti Constitutione declaramus ad habitum conferendum habere canonicam potestatem primo, & immediate Commendatorem Domus ad quem postulator accessit, & ubi capitulariter est admittus; Magister autem Generalis, & Provincialis, eorumque Visitatores in actuali visitatione, tamquam potestate Superiores simili facultate fruuntur, prævia tamen approbatione Conventus. Vicarium vero Commendatoris ab hoc actu secludimus, quem nihilominus Præfidentibus in Capite concedimus. Verumtamen habitum Laicis, vel Tertiariis conferendi, vel Præfidenti in Capite, imo neque Commendatori jus aliquod permittimus, nisi de licentia Magistri Generalis, vel Provincialis in scriptis.

2. Admisso igitur postulante, admonendus est a Magistro Novitiorum, ut habitum omnino humilem, & interiora indumenta penitus alba, & tunicas laneas sibi præparari faciat cum leculo, insuper mensula, lucerna, aliisque paucis, & modestissimis utensilibus pro Cellula. Quibus jam paratis, & præstituta die, qua ille induendus est novo homine, & mutandus in virum alterum suadendus est ab eodem Magistro, ut Sacra Confessione, & Communionem se muniat ac remissionem omnium peccatorum, quam pro eo die Sumus

Paulus

Paulus V. indulsit a Deo impetrandam. Accedente vero hora traditionis habitus, prædictus Magister eum in omnibus ab ipso agendis, & Prælato respondendis sollicitè instruat, totum insuper, & integrum habitum prope apponendum curet. Quibus vel aliis etiam pro suo munere constitutis, & congregatio capitulariter Conventu sono Campanæ in Choro, vel Ecclesia seu alibi etiam sedente Prælato, intrat ipse Magister Novitiorum secum ducens induendum nondum rasum, quem ad Prælati pedes genuflexum statuet. Cum autem ab eo interrogatur *quid petis statim ille parum profunde inclinatus respondeat: Misericordiam Dei, & vestram.* Deinde manens genuflexus, Sermonem, & verba Prælati audiat devote, & attente.

3. Is vero ferventer, & graviter arduam illam viam, quam ingreditur exponat, quam sit difficilis, quam laboriosa, quam arduarum sensibus, & mortificationum tribolis confita, quam nihil propriæ voluntatis includat, non delicias, non requiem, sed famem, sitim, vigiliis, & pensam inopiam; verum licet initio sit amara, sit tamen usu, & consuetudine, ac Divino subsidio in medio suavior, & tandem in fine felicior, cum laborantibus in ea brachium æternæ Beatitudinis præparatur.

4. His, & aliis a Prælato expositis, interroget induendum: an velit perseverare in vocatione sua, vel plus amare sæculum, quam Ordinem eligere? quo respondente: *Volo amplecti Dei famulatum, & Beatissimæ Virginis Mariæ filium institui,* dicat statim Prælati: *Dominus, qui incepit, ipse perficiat,* & Conventus respondeat *Amen.* Deinde surgit Prælati, & exiit eum sæculari habitu (pallio videlicet) & interea dicit: *Exuat te Deus veteri homine, cum omnibus actibus suis.* Conventus vero respondeat *Amen.* Deinde Prælati sumens habitum Religionis in manus dicat: *Ego auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, & auctoritate Apostolorum Petri, & Pauli, & quæ est mihi ab Ordine commissa trado tibi habitum Novitiorum Ordinis Nostri, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & respondeat Conventus, Amen.* Quando autem induit Scapularium dicat: *Induat te Deus novo homine, qui secundum Deum creatus est in iustitia, sanctitate, & veritate,* & Chorus respondeat *Amen.* Post hæc se prosternente Novitio,

Cantor incipit Hymnum.

Veni Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia
Quæ tu creasti pectora.
Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, Charitas,
Et Spiritus unctio.
Tu septiformis munere,
Digitus Paternæ dexterae,
Tu rite promissum Patris.
Sermonem ditans guttura.
Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri Corporis,
Virtute firmans perpeti.
Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus.
Ductore sic te prævio,
Vitemus omne noxium.
Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium,
Teque utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.
Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis,
Surrexit ac Paraclito,
In sæculorum sæcula. Amen.

Bullarii Romani Contin. Pars VI.

Quo finito dicat Prælati.

✽. Emitte Spiritum tuum Domine, & creabuntur.
R. Et renovabis faciem terræ.
✽. Salvum fac Servum tuum Domine.
R. Deus meus sperantem in te.
✽. Esto ei Domine turris fortitudinis.
R. A facie inimici.
✽. Domine exaudi orationem meam.
R. Et clamor meus ad te veniat.
✽. Dominus vobiscum.
R. Et cum Spiritu tuo.

O R E M U S.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de ejus semper consolatione gaudere.

Prætere Domine famulo tuo sæculo renuntianti dexteram tuam cælestis auxilii, ut te toto corde perquirat, & quæ digne postulat assequatur. Per Christum Dominum Nostrium. Amen.

O R E M U S.

Adesto Domine supplicationibus nostris, ut hunc famulum tuum benedicere digneris, cui in tuo Sancto Nomine habitum Sacræ Religionis imponimus, ut te largiente, & devotus in Ecclesia persistere, & vitam percipere mereatur æternam. Per Christum Dominum Nostrium. Amen.

Tandem aqua benedicta aspergatur, & ad osculum pacis deferatur a Magistro, atque ultimum locum habeat, tempusque probationis ei designetur a Prælato, juxta decretum Concilii Tridentini Sess. 23. quod est integer annus, ut ipse austeritatem Ordinis, & fratres mores ejus experiantur, & probent, de Jure enim Novitius Monasterium ingreditur probaturus, & probandus a fratribus.

5. Si autem pluribus habitum conferri contingerit mutanda sunt in verbis, & Orationibus supradictis quæ rationabiliter mutari debeant. Vestes Novitiorum sæculares usque ad tempus eorum professioni præfixum sub custodia fidei servantur. Receptio Novitii scribi debet statim in libro speciali receptionibus tantum destinato, relatis anno, mense, die, & hora eadem, & Magistro Novitiorum subscribentibus cum duobus aliis fratribus testibus, qui quidem liber in depositum Conventus includatur solertissime servandus ne pereat.

C A P U T V.

De institutione Novitiorum.

1. Ut nihil utilius in Ordine quam Novitiorum instructio, ita nihil, aut pondere gravius aut opere difficilius; etenim Novitiatu quædam virgultorum novella plantatio est inde ad hortum Domini frutices eliguntur, & furculi de stipitibus sæculi avulsi, ac in domo Domini plantati inferuntur in bonam olivam non sine magno labore, ac industria.

2. Hæc autem sedulo considerantes, & quantum in Domino possumus boni Ordinis frugi providere cupientes inviolabiliter constituimus, ut in qualibet Provincia ab ejus Diffinitorio Provinciali inter Capitulum Domus, seu Conventus potiores, & aptiores eligantur, in quibus sancte, & pie Novitii nostri omnem Ordinis disciplinam ediscant, & regulariter instituantur a suis Magistris, itaut in aliis Conventibus probationis annum nequeant traducere.

3. Cæterum si in aliqua domu ad novitiatum non designata, & assumpta, aliquis recipiatur ad Ordinem, Commendator ejus quam primum illum transferat ad quamlibet ex Conventibus ad probationem electis, juxta Provincialis arbitrium, quod quidem a Commendatore

feri præcipimus infra unum mensem a receptione sub pœna privationis officii.

4. Domus autem Novitiorum in hujusmodi Conventibus sit locus segregatus a professorum convictu, ita sane, ut licet fratres Clerici sint etiam intra novitiatum usque ad sacerdotium cum ipsis quoque nolumus Novitios habere commercium, sed sicut hujusmodi Clericos, & Novitios ab omnibus aliis fratribus, speciali clausura loci separamus, ita ipsos a se invicem propriis Dormitoriis intra Novitiatum dividimus quantum facultas Conventus, & loci amplitudo permiserit. Ad hoc autem utriusque Dormitorii Cellæ sint numero sufficientes, ne binos in eadem convivere sit necesse, aut lectulos in aliqua duplicari, sed singulæ singulos habeant, ut profundius silentio, & solitudini studeant, vel gerant spiritualia liberius.

5. In Novitiatu etiam præter alia communia commoda, locus deputetur spiritualibus collationibus habendis, cæremoniis, & Rubricis addiscendis, regularibus pariter disciplinis, & culparum Capitulis exercendis idoneus. Insuper, & Oratorium, in quo nemo aliquid agat nisi id, ad quod factum est, unde, & nomen accepit.

6. Novitiatus semper sit clausus, ejusque clavam solum habeat Magister Novitiorum, aut socius, illique soli, vel Præfato liceat alicui concedere ingressum, si vero ingrediens loqui cum Novitio voluerit, Magistro præsentem, & non aliter alloquatur.

7. Quoad Magistrum Novitiorum, pariter, ut supra decernimus, ut in singulis præfatis domibus ab eodem Capituli diffinitorio instituat vir quidem Religiosus, virtute, prudentia, doctrina, moribus, & matura ætate præditus, qui Commendatori sit subiectus in omnibus. Si autem extra Capitulum vacaverit, ad Provinciale pertineat Magistri Novitiorum electio.

8. Hic ergo Magister statim, ac Novitii in locum novitiatus introducti fuerint, eis prudenter suadeat, ut per generalem omnium peccatorum confessionem totius antea vitæ conscientiam diluant præstantiam illis Religiosæ vocationis aperiat, & Dei vocantis misericordiam, qua eos dignatus est a sæculi laqueis, & vanitatibus eripere pio sermone non sileat. Illos regula, & Constitutionibus informet, & ad perfectam votorum observantiam inducat: Præcipua vero ad ardentissimam nostri instituti, & quarti voti charitatem, ut paulatim eos conformes faciat Imagini filii Dei, & exemplum dilectionis ejus ipsorum cordibus ingerat, obedientiam eis laudet, paupertatem extollat. Pudicitiam puris verbis insinuet, & pietatem erga proximum Deo dilectissimam referat, ut singulis votorum virtutibus eorum mens, & anima ferveat.

9. Inter hæc omnia Catechismum Christianæ disciplinæ sapius eis in doctrina sana, & patienter exponat, humilitatem cordis eos habere doceat, & frequenter, pure, & lacrimabiliter cum integritate, & pudore confiteri, & cælestem panem exurire, & ante sumpcionem in oratione, & peccatorum assidua deploratione se exercere, ut ad Eucharistiam diebus *Distinct. 1. Cap. 7.* constitutis accedant, confessiones eorum solus audiat Magister. Si tamen Præfatus aliter expedire judicaverit, ad alios confessarios virtute, zelo, & prudentia probatos, ducere poterit, si quæ Novitius justa de causa petierit alium confessarium superior teneatur illum dare.

10. Ulterius debent instrui Novitii ad orationem mentis, & oris quotidie agendam, ad quam Magister typum, ordinem, & tempus perscribat, eosque pariter instituat ad conscientiam sapius in die discutiendam, libros Mysticæ Theologiæ devotos, & spirituales apud se retinere, & crebro legere studeant, ut in eis scientiam sanctorum ediscant meditando, & contemplandi modos, &

discrimina differant, & cuique alterum eorum statuat prout gradus perfectionis, & necessitas postulaverit. Vitas etiam Patrum, & sanctorum Ordinis lætitanis consuetudinem ingerat. De quibus omnibus in loco ad eadem destinato cum Magistro, vel socio quotidie per dimidiam ad minus hora collationem spirituales indispensabiliter habeant.

11. Quantum ad Orationem vocalem maxime incumbat, ut horas canonicas in Choro attente, & devote persolvant, & quicquid recitent tam intra, quam extra Chorum non sola voce, & spiritu, sed mente pariter psallant, Regulis Divini Officii, cæremoniis, & ritibus, juxta Romanum, & usum Ordinis nostri eos diligenter imbuat, pro quibus, & reliquis ex Regula, & Constitutionibus pertractandis singulis diebus tempus speciale præstituat ab omnibus aliis occupationibus ereptum. Integrum Horarum pensum eos quotidie implere assuefaciat, ut cum professi fuerint propensius illud exerceant. Novitios laicos ministerium rei sacræ specialiter edoceat, & universim omnes ad hoc munus comiter, & devote exequendum juxta rubricarum, & cæremonialis Ordinis apices solertissime instruat.

12. Ad devotionem, cultum, & pietatem erga Beatissimam Virginem Mariam invitet illos sapiissime, & sic ad ejus dilectionem provocet, eamque velut signaculum ipsorum cordibus infingat, ut nihil sit in ore, nihil in mente, vel opere, quod Mariam non resonet, nihil eis sine Maria sapiat, nihil cum Maria displiceat, & cuncta in ejus nomine aggrediantur, & gerant qui ejus officio parvo in Choro non interfuerit, id privatum inviolabiliter compleat. Post cœnam autem, tam Novitii, quam Professus quinq; Rosarii decadas cum Litanis Lauretana devotissime in Oratorio recitent, quibus peractis examen conscientie faciant per aliquam morulam ad arbitrium Magistri, posteaque sibi ipsis, & Dormitorio benedicant antequam ad quietem se recipiant.

13. Singulis sextis feriis, vel alia ejusdem hebdomadæ culpas dicant Magistro Capitaliter congregato, quos autem ille aperte negligentes, aut lapsos in aliqua regulari culpa deprehenderit, verbo, & opere corrigat, non quidem acerbè, vel acriter, sed suaviter, & mite, ut eos ad meliorem frugem potius benignitate, quam severitate inducat, quo modo in Capitulo, vel ubicumque objurgati fuerint, a Superiore veniam captare debeant instituat; aliquando etiam sine causa tam Novitios, quam Professos nonnulla mortificatione prudenter exerceat, vel interdum ad punishmentem preparari jubeat, ut animi promptitudinem ad obediendum agnoscat.

14. Novitius se semper in sua Cella contineat, nec ad aliam transeat sine licentia Magistri, nulli oculos sublimes habeat, sed dimissos sibi aliquid danti, & auferenti, aut etiam improperanti, vel laudanti, se devote, & humiliter inclinet. Prospera, & adversa unanimiter, & æqua fronte suscipiat, de re nulla cum alio contendere audeat, nec se, vel alium proterve defendere, si fratri suo scandalum ingerat, proferat se ad pedes ejus donec illum surgere jubeat.

15. Cum secularibus nullo modo Magister eos colloqui permittat, & cum parentibus rarissime, & a se prius obtenta licentia, cum fratribus Conventus nullam consuetudinem habeant nec ad brevissimum sermonem, aut moram ipsis adhæreant, sed juxta illos submissis oculis silentes transeant nullam penitus respondendo aut interrogando præbentes occasionem ad alloquia, multo magis eorum Cellas ingredi caveant, etiam vocati nisi a Præfato dumtaxat.

16. A domu Novitiorum semper bini egrediantur, & non aliter professos quantum fieri possit idem fervare intendimus. Epistolas neque scribant neque mittant, sive recipiant sine licen-

ria Magistri, qui eas primo legat. Similiter neque in refectorio, seu extra cuiquam aliquid largiantur, aut mittant, neque sibi ab aliis oblata (nisi a solo Prælo) suscipiant sine venia ipsius Magistri, qui propterea quicquid eis opus fuerit, provideri sollicitè secundum possibilitatem Conventus.

17. Disciplinas singulariter frequentes suscipiant prout devotionis fervor, & spiritualis necessitas exigat, verumtamen non eas imprudenter assumant, sed cum discretione, & consilio Magistri, præter Conventuales, & a Constitutione præfixas in vigiliis communionis totus Novitiatu communem disciplinam accipiat, ad quam omnes Magister prævio sermone accingat aliisque dispositionibus; & exercitiis præparari studeat, ut digne ad cælestem mensam accedant.

18. Omnibus Novitiis assignetur a Prælo qui eos plano, & vulgari cantu instruat sub pœna suspensionis ab officio per sex menses, & præter hanc artem ad nullam aliam scientiam nisi Philosophiam, seu Theologiam eos quomodocumque distrahere permittimus, nisi peracto integro anno, in quo de rebus Ordinis Divino officio rite, & debite recitando, & perite cantando, & de Constitutionibus, & regula factis superque fuerint edocti, qua de re omnem dispensandi facultatem Provinciali atque etiam Magistro Generali detrahimus.

19. Novitios tam Clericos, quam laicos, ita Novitiatu clausura contineat, ut in receptione usque ad emissam professionem nemo inde exeat quocumque quæsito colore, vel prætextu ad fratrum cuilibet ministrandum tam transeunter, quam permanentè cuiusque gradus, & conditionis extiterit, etiam si fuerit Prælo, neque commune aliquod officium Conventus singularim extra novitiatum exerceant, sed bini dumtaxat aut plures nulla rursus eis copia fiat a Monasterio egrediendi nisi ad aliquem communem actum comitante eos semper Prælo aut Magistro.

20. Si vero aliquis Novitius clausuram frangat, & septa Monasterii etiam per brevem moram, & habitu non dimissi prætereat, quocumque mente id faciat, etiam si animo redeundi, non admittatur denuo, nisi facti vehementer pœniteat, & iterum incepto probationis anno a tempore, & hora sui reditus, & novæ receptionis ad Ordinem quæ omnia adnotari debent in libro receptorum prout sic gesta fuerint, ut sciat quod usque dum vergat eadem hora post annum a regressu profiteri non potest.

21. Sed quoniam semper sæculum expugnare Novitios bello suo durissimo non dubitamus, idcirco pro illis sobrie Magister invigilet, ne de omnibus sibi traditis perdat quemquam, unde si mœstum aliquem, tædio affectum deprehenderit, prudenter, & bonis actibus a pravis suis cogitationibus avertat, injungat illi ferventius orare, jejunare parcius, confiteri, & communicare frequentius. His enim talis Diabolus deterretur, & vincitur. Cum autem sic illum monuerit forte lucrabitur collabentem, si tamen ab eo defectus perierit, sciat sanguinem ejus de manu sua requirendum esse.

CAPUT VI.

De admissione Novitiorum ad Professionem.

1. Cum dicat Apostolus: Omnia probate, & quod bonum est tenete, proinde non omnes, aut quoscumque Novitios eo solum quod Novitiatum impleverint ad professionem suscipimus, sed eos tantum, quos integer probationis annus, & morum integritas idoneos ad Ordinem ostenderit, nec informatio authentica indignos aliunde prodiderit.

2. Sed ne in re tam gravi defectu declarationis, aut qualibet alia causa male fiat admissio,

consentaneum inculcare duximus, quæ ad legitimam professionem jure communi, & nostro requiramus. Primo enim nullum ad professionem admittimus, nisi completo anno ab ætate suæ, & uno integro probationis, quem quidem annum etiam si Novitius intraverit ante 15. ætatis suæ, declaramus canonice non incipere usque ad ejus finem, quo perfecte a puncto in punctum elapso fieri debet professio, etsi aliter attentetur sit invalida, & irrita juxta sanctiones Concilii Tridentini, quæ omnia constare debent per testimonia de Jure legitima.

3. Insuper antiquis nostris Constitutionibus inhærendo irritam & inanem declaramus professionem eorum, quos ad eam Prælo admiserit inconsulto Conventu, & absque majoris partis sui Capituli consensu, qui tamen Prælo sine illo, aut sine prædictis conditionibus Concilii Tridentini quemquam ad professionem ausus fuerit admittere, officio, & dignitatibus, ac voce activa, & passiva, maneat perpetuo privatus.

4. Similiter juxta motum proprium Sixti V. ab Alexandro VII. in constitutionibus nostri Ordinis confirmatum, inaniter, & irritè ipso facto profiteri statimus, eos omnes qui ex sacrilego, aut incestuoso concubitu usque ad tertium consanguinitatis, vel affinitatis gradum fuerint progenti, poterunt tamen ii de licentia Magistri Generalis, aut Provincialis, juxta motum ejusdem Sixti, ad professionem Conversorum admitti; si alioquin bona indole, & morum honestate sint præditi, nec eos aliquod juris, seu nostre Constitutionis impedimentum afficiat: Prælo vero, qui hujusmodi natalium defectus habentes ad professionem, vel etiam receptionem scienter admiserit, vel informans in informationibus simulaverit, gravissimis pœnis, a Sixto V. inflatis, & in superiori parte jam declaratis, severissime pœtendos esse denuntiamus.

5. Sub eadem insuper nullitate professionem nostram interdiximus universis alienæ professionis Fratribus; nisi de Nobilibus Ordinum Militarium extiterint: juxta decreta SS. Pontificum, Urbani VIII., & Alexandri VII., ac nostri pariter Ordinis instituta; Superius quoque in cap. 3. hujus dist. ordinata. Quicumque autem prædictis in hoc capite conditionibus, aut defectibus laborantes ad professionem nostram accesserint, & obreptitè, ac subreptitè id est affectata falsitate, vel tacita veritate illam emiserint, quocumque tempore id appareat, protinus ab Ordine nostro expellantur, ut inaniter ipso facto professi.

6. Prælo vero præcipimus sub excommunicationis sententiâ ipso facto incurrenda ut quando Novitius vocatur ad professionem suscipiendam, protestentur illi, non esse mentem eorum Conventus, nec Ordinis consentire ad ipsam si contagiosam occultam, aut incurabilem aliquam infirmitatem, sevitutem, conjugium, alienæ pecuniæ obligationem, seu genus ab Hebræis supra quartam etiam generationem, vel Mauris, sive a S. Inquisitione directè, vel indirectè fidei causa punitis, aut ab aliis quomodocumque nota dedecoris inustis, celaverit; dum tamen labe, macula, & infamia, omnino extincta non sit.

7. Rursus declaramus professionem in Ordine nostro debere semper fieri solemniter in manibus Prælo.

8. Si ab Ordine nostro Novitius aliquis repellendus sit, Prælo exposita prius Capitulo, causa expulsionis de consilio ipsius consilium radat, & habitu illum exuat dicens: *Ego auctoritate Domini Nostri Jesu-Christi, & auctoritate Apostolorum Petri, & Pauli ab Ordine mihi tradita, exuere habitu Novitiorum nostri Ordinis, & ab illius observantia te absolvo, & restituo te in priorem statum secularem in quantum ego possum, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.*

9. Verumtamen Prælo consulimus, ne sit

ubique facilis in expellendis Novitiis, nec nimis pius se præbeat in ipsis retinendis. Qui autem frigescente vocatione voluerit repetere sæculum; non statim dimitatur, donec eum aliquo interfecto tempore pii Fratres exhortentur, ut si forte levitate aliqua, vel Diabolica fraude deceptus in hanc cogitationem inciderit, ad perseverantiam excitetur. Si tamen admonitus renuerit, suo relinquatur arbitrio, & si nondum fuerit sui juris, benigne Parentibus, aut tutoribus tradatur.

10. Cum vero in sua vocatione perseveraverit, intra duos menses professioni proximos proponendus est a Præfato Capitulo, ut per suffragia secreta probetur, aut reprobetur ad illam; Prius tamen procedendum est ad informationem, & testimonium, quod de illius (etiam Laici) habilitate, & aptitudine reddere debet coram Capitulo Magister Novitiorum, cui præcipimus in virtute obedientiæ, ut quos expertus fuerit in Novitio defectus professionis merito refragantes absque ullo studio, animique affectione patefaciat, an illum videlicet durum, & protivum in obediendo notaverit, an superbum, rixosum, inquietum, & seminatorem discordiarum, an stupidum, rudem habentem, an corporis habitudine, vel indolis pravitate observantiis regularibus adversum vel incommodum, an turpi vitio a natura, seu inveterata consuetudine subjectum, ob aliumve quemcumque notabilem defectum professione indignum. Qui autem his, & similibus, seu corporis, seu animi morbis de more laboraverit, nullatenus ad suffragia admittatur, sed confestim de consilio Capituli rejiciatur a Præfato: quod si undequaque dignus appareat, statim per secretos calculos ad approbationem, vel reprobationem procedatur, ubi Fratres juxta testimonium Magistri Novitiorum, & proprium quod fecerint de Novitio judicium, eum omni æquitate repellant, vel suscipiant.

11. Demum hujusmodi Novitiis, jam ad professionem admittis denuntiamus quod si intra duos præfatos menses, & non antea quidquam de suis bonis habitibus, vel habendis disponere voluerint, libere id faciant, præmissa licentia Ordinarii, juxta dispositionem Concilii Tridentini.

CAPUT VII.

De professione, ejusque solemnitatis forma.

1. Cum jam dies advenerit, qua Novitius profiteri debeat (sive id sit in Ecclesia post Offertorium, sive in Choro, aut Capitulo) constituatur a Magistro genibus flexis ante Prælaturam, cui sub excommunicationis sententia præcipimus, ut prius quam ab eo Novitius professionem, & vota suscipiat, singulorum substantiam & vincula ei graviter exponat: quid nempe illum obliget votum obedientiæ, paupertatis, & castitatis, & præcipue quartum speciale nostri Ordinis ex vicibus, primævaque institutione ipsius emanans; vi cujus Fratres nostri absolute promittunt redimere captivos, & ulterius, & æque absolute se tradere in pignus & quæcumque vitæ discrimina pro periclitantibus in fide, quos jam argento, vel auro redimere non potuerint.

2. Post hæc debet illi proponere omnia incommoda, & asperitates Ordinis quodque eas observare debet, prout in Constitutionibus continetur. Quibus sic expositis interroget professurum: an ipse bene perpensis, eligat potius manere in Religione, quam ad Sæculum reverti; quo asseverante surgat Prælatus dicens: *Dominus qui incipit ipse perficiat.* Et Fratres respondeant, *Amen.* Postea vero illum exuat Caputio, Cappa, & Scapulario sub his verbis: *Exuat te Deus veteri homine cum omnibus actibus suis.* Et Chorus respondeat, *Amen.* Ad hæc insuper bene-

ditionem habitus in hanc formam adhibeat.

✠. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.

℞. Et salutare tuum da nobis.

✠. Domine exaudi orationem meam,

℞. Et clamor meus ad te veniat.

✠. Dominus vobiscum.

℞. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu Christe, qui regimen nostræ mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensæ largitatis tuæ abundantiam, ut hoc genus vestimentorum quod Sancti Patres ad innocentiam, & Sanctitatis indicium ferre sanxerunt, ita bene & dicere digneris, ut qui hoc usus fuerit te induere mereatur: qui vivis, & regnas &c.

Deinde aspergatur aqua benedicta: tunc flexis genibus Novitius ter dicat hunc versum: *Suscipe me Domine secundum eloquium tuum, & vivam, & non confundas me ab expectatione mea.* Et ter respondeat Conventus: *Suscipimus Deus misericordiam tuam in medio Templi tui. Gloria Patri &c.* Postea induat eum Prælatus vestibus benedictis dicens: *Ego auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, & auctoritate Apostolorum Petri, & Pauli, & auctoritate ab Ordine mihi commissa, do tibi habitum Professorum Ordinis nostri in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Et quando incipit induere, dicat: *Induat te Deus homine, qui secundum Deum creatus est in justitia, sanctitate, & veritate; tunc prosternatur Novitius, & Prælatus dicat.*

OREMUS.

Deus Misericors, Deus clemens, cui bona cuncta placent, sine quo nihil sanctum inchoatur, nihilque boni perficitur, adfuit nostris precibus aures pietatis tuæ, & hunc famulum tuum cui in tuo Sancto Nomine, habitum Sacræ Religionis nostræ imposuimus a mundi impedimento, & sæculari desiderio defende; & concede ei, ut in hoc sancto proposito devotus persistere, & remissione peccatorum capta ad electorum valeat pervenire consortium. Per Christum, &c. Amen. Deinde dicat. *Psalms. 132.*

Ecce quam bonum, & quam jucundum habitare Fratres in unum.

Sicut unguentum in capite quod descendit in barbam, barbam Aaron.

Quod descendit in oram vestimenti ejus: sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.

Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, & vitam usque in sæculum. *Gloria Patri.*

Quo finito Prælatus incipiat Litanias, & Conventus respondeas ut sequitur.

KYrie eleison.

Christe eleison.

Kyrie eleison.

Christe audi nos.

Christe exaudi nos.

Pater de Cælis Deus.

Fili redemptor mundi Deus.

Spiritus Sanctus Deus.

Sancta Trinitas unus Deus.

Sancta Maria,

Sancta Dei Genitrix.

Sancta Virgo Virginum.

Sancte Michael.

Sancte Gabriel.

Sancte Raphael.

Omnes Sancti Angeli, & Archangeli.

orate pro nobis.

Miserere nobis.

Mis. nobis.

Mis. nobis.

Mis. nobis.

ora pro nobis.

ora.

ora.

ora.

ora.

ora.

Omnes

Omnes Sancti Beatorum Spirituum ordines. orate pro nobis.		Fili Dei. Fili Dei.	Te rogamus. Te rogamus.
S. Joannes Baptista.	ora.	Agnus Dei, qui tollis peccata mundi.	Parce nobis Domine.
Omnes Sancti Patriarchæ, & Prophetæ.		Agnus Dei, qui tollis peccata mundi.	Exaudi nos Domine.
Sanctæ Petre.	ora.	Agnus Dei, qui tollis peccata mundi.	Dona nobis pacem.
Sanctæ Paule.	ora.	Christe audi nos.	
Sanctæ Andrea.	ora.	Christe exaudi nos.	
Sanctæ Jacobe.	ora.	Christe eleison.	
Sanctæ Joannes.	ora.	Kyrie eleison.	
Sanctæ Thoma.	ora.	Pater noster.	
Sanctæ Jacobe.	ora.	✠. Et ne nos inducas in tentationem.	
Sanctæ Philippe.	ora.	✠. Sed libera nos a malo.	
Sanctæ Bartholomææ.	ora.	✠. Salvum fac servum tuum Domine.	
Sanctæ Matthææ.	ora.	✠. Deus meus sperantem in te.	
Sanctæ Simon.	ora.	✠. Mitte ei Domine auxilium de Sancto.	
Sanctæ Thaddææ.	ora.	✠. Et de Sion tuere eum.	
Sanctæ Mathia.	ora.	✠. Esto ei Domine turris fortitudinis.	
Sanctæ Barnaba.	ora.	✠. A facie inimici.	
Sanctæ Luca.	ora.	✠. Nihil proficiat inimicus in eo.	
Sanctæ Marce.	ora.	✠. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.	
Omnes Sancti Apostoli, & Evangelistæ.	orate pro nobis.	✠. Domine exaudi orationem meam.	
Omnes Sancti Discipuli Domini.	orate pro nobis.	✠. Et clamor meus ad te veniat.	
Omnes Sancti Innocentes.	orate pro nobis.	✠. Dominus vobiscum.	
Sanctæ Stephane.	ora.	✠. Et cum spiritu tuo.	
Sanctæ Laurenti.	ora.		
Sanctæ Vincenti.	ora.		
Sanctæ Petre Paschali.	ora.		
Sanctæ Petre Armengaudæ.	ora.		
Sancti Fabiane, & Sebastianæ.	orate.		
Sancti Joannes, & Paule.	orate.		
Sancti Cosma, & Damiane.	orate.		
Sancti Gervasi, & Protasi.	orate.		
Omnes Sancti Martyres.	orate.		
Sanctæ Silvester.	ora.		
Sanctæ Gregori.	ora.		
Sanctæ Ambrosi.	ora.		
Sanctæ Augustine.	ora.		
Sanctæ Hieronymæ.	ora.		
Sanctæ Martine.	ora.		
Sanctæ Nicolæ.	ora.		
Omnes Sancti Pontifices, & Confessores.	orate pro nobis.		
Omnes Sancti Doctores.	orate.		
Sanctæ Pater noster Petre.	ora.		
Sanctæ Antoni.	ora.		
Sanctæ Benedicte.	ora.		
Sanctæ Bernarde.	ora.		
Sanctæ Dominicæ.	ora.		
Sanctæ Francisce.	ora.		
Sanctæ Pater Raymunde.	ora.		
Omnes Sancti Sacerdotes, & Levitæ.	orate pro nobis.		
Omnes Sancti Monachi, & Eremitæ.	orate.		
Sanctæ Maria Magdalena.	ora.		
Sanctæ Agata.	ora.		
Sanctæ Lucia.	ora.		
Sanctæ Agnes.	ora.		
Sanctæ Cæcilia.	ora.		
Sanctæ Catharina.	ora.		
Sanctæ Anastasia.	ora.		
Omnes Sanctæ Virgines, & Viduæ.	orate.		
Omnes Sancti, & Sanctæ Dei.	intercedite pro nobis.		
Propitius esto.	Parce nobis Domine.		
A damnatione perpetua.	Libera nos Domine.		
Ut regularibus disciplinis nos instruere digneris.	Te rogamus audi nos.		
Ut præsentem Fratrem conservare, & visitare digneris.	Te rogamus.		
Ut statutum nostrum roborare digneris.	Te rogamus audi nos.		
Te rogamus audi nos.	Ut nos in tuo sancto Servizio conservare digneris.		
Te rogamus.	Fili Dei.		
Te rogamus.			

O R E M U S.

Deus, qui non mortem peccatoris, sed per penitentiam, & emendationem vitam semper inquis, te suppliciter deprecamur, ut huic famulo sæcularibus actibus renunciantem large pietatis tuæ gratiam infundere digneris, quatenus castris tuis insertus, ita tibi militando stadium vitæ præsentis percurrere valeat, ut bravium æternæ remunerationis te donante percipiat per Christum &c.

O R E M U S.

Deus, qui renunciantibus sæculo mansionem præparas in Cælo, dilata hujus Sanctæ Congregationis temporale habitaculum cælestibus bonis, & præsta, ut fraterna teneantur compagine, charitatis unanimes, continentiam præceptam custodiant: sobrii, simplices, & quieti, Professionis donum in Ordine tuo sibi datum fuisse, gratia cognoscant; concordet eorum vita cum nomine, ut professio sentiatur in opere. Per Dominum &c.

O R E M U S.

Deus, qui nos a sæculi vanitate conversos ad æternæ vocationis accendis amorem, pectoribus nostris purificandis illabere, & gratiam nobis, qua in te perseveremus infunde, ut protectionis tuæ muniti prædiis, quæ te donante, promissimus impleamus, ut nostræ professionis executores effecti ad ea, quæ credentibus in te dignatus es promittere pertingamus.

3. Deinde surgat Novitius & professionem a se, vel ab alio conscripam, publice faciat, & legat in hac forma: Ego Frater N. filius ex legitimo Matrimonio. N. & N. in loco (urbe, vel oppido) N. natus, & procreatus, facio professionem, & promitto obedientiam, paupertatem, & castitatem observare, Deo, & Beatissimæ, ac immaculatæ Virgini Mariæ, atque Beato Parenti Nostro Divo Petro Nolascæ, & tibi N. Commendatori hujus Domus N. regalis Ordinis ipsius immaculatæ Virgini Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Vice Reverendissimi P. N. Magistri Generalis, & successorum ejus, secundum regulam S. P. N. Augustini, & Constitutiones prædicti Ordinis, prout in eis continetur, eroque obediens tibi, & successoribus tuis, usque ad mortem, & in Saracenorum potestate, in pignus, si necesse fuerit, ad redemptionem Christi fidelium detentus manebo.

4. Exinde vero prosequatur in hæc verba: Quam professionem sponte, & libenter emitto, peracto jam integro probationis anno, & præmissis omnibus requisitis, juxta Concilii Tridentini decreta, & prædicti Ordinis Constitutiones, quæ omnia rite, & legitime in me processerunt, & debite facta sunt: In cujus rei testimonium, hanc Canonicæ professionis attestacionem feci, & propria manu subscripsi.

5. Hic autem memoret Conventum, ubi proficitur, & annum Domini, diem, mensem, & horam, ac etiam annum fundacionis, & revelationis Ordinis ab immaculata, & fundatrice nostra, & postea se subscribat; quæ omnia contestari debet Prælatus, & alii duo Fratres, pariter subscribentes; liber autem professionum semper in deposito Conventus diligentissime custodiatur. His rite peractis, dicat Prælatus.

✕. Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis.

✙. A Templo Sancto tuo quod est in Hierusalem.

6. Deinde donet ei Communem societatem Professi, manus suas claudens, & dicens: Omnes quamvis per gratiam Baptismi Fratres sumus in Christo, & unum Patrem habeamus in Cælo, si ejus præceptis prout possumus obsequimur, proculdubio tunc maxime unimur, quando orationibus, & beneficiis invicem nosmetipsos copulamur; quemadmodum, & in primitiva Ecclesia, quibus cor unum erat, & anima una, quorum vitæ amore plures accensi, possessiones, & facultates rerum vendentes congregatis cum Matre Jesu in unum pretia deferebant, gaudentes, quæ accepta Apostoli tradebant omnibus ut opus erat; sicque iste ut proficiat in Domino ipso inspirante, & eorum exemplo communitus, nostris optat jungi consortiis. Idcirco damus ei communem societatem vivendi nobiscum, quantum a Domino possumus promereri, & nostrum est elargiri, quatenus cum electis a remuneratore omnium bonorum valeat præmia repromissa percipere. Per Christum &c. Amen.

7. Tandem vero ipse Prælatus, cum reliquo Conventu suscipiant illum ad osculum, & amplexum pacis, tamquam Fratrem sibi jam coherentem, quem iterum ad pedes ipsius redeuntem admonet, ut gratias Deo referat pro tanto munere adepto, & ei designet postremum locum inter professos sui status.

CAPUT VIII.

De regimine Professorum, eorumque promotione ad Sacros Ordines.

1. Post professionem itaque, ne Fratrum adolescentia, sine recto, & severo moderamine diffluat, nec eis sub propria Cella, proprium nutum, & libitum relinquamus, eapropter statuimus, ut professi nostri debeant esse sub potestate Magistri Novitiorum, donec ad Presbyteratum ascendant, ut illos eo tempore Novitiatu contineat cum dormitorio, & Cellulis, quantum fieri possit a Novitiorum convictu separatis. Inde autem non egrediantur, nisi cum licentia Magistri, vel focii, qui eorum vitam dirigere, & cum Novitiis virtute, & timore Domini, regularibusque disciplinis instruere debent. In Choro ad omnes horas eos non federe permittimus, sed stantes pariter cum Novitiis recitare, vel canere.

2. Laicorum etiam educationi providentes pariter constituimus, ut professi Laici per septem annos a professione subiaceant Magistro Novitiorum, qui similiter quantum potuerit, eorum curam suslineat, & regularibus imbuat disciplinis, ac præsertim Catechismum Catholicum, quam frequenter ipsis ut rudioribus, & illiteratis aperiat.

3. Stricissime autem Prælati præcipimus, ut neminem ad Sacros Ordines promoveant, nisi decursis a professione tribus annis, & non aliter. Licentiam vero ad Ordines suscipiendos, nullam posse Prælatum præbere declaramus, nisi Provinciam in sua Provincia, & pro toto Ordine Magistrum Generalem, quibus iterum in virtute S. Obedientiæ præcipimus, ne cuiquam ex Fratribus nostris, tribuant licentiam, vel eos permittant ad Sacros Ordines promoveri, nisi juxta formam Concilii Tridentini, & cognita prius eorum sufficientia, debita ætate, morum honestate, & literarum peritia, a se vel examinato-ribus comprobata, quibus sub eodem præcepto subjungimus, ut in hoc examine se fideliter, & exacte gerant. Ipsique, vel Prælatus a quibus examinatus fuerit ordinandus, referant Capitulo Conventus, quæ circa ejus habilitatem, aut inhabilitatem compererint. Capitulum vero (ex illis tantummodo congregatum, qui sacris sunt initiati, eademque solemnitate, & conditionibus, quas pro recipiendis ad Ordinem, & professionem ordinavimus) procedat ad probationem per suffragia secreta, quam utique omni æquitate facient, juxta sufficientiam sibi a Prælato, vel examinato-ribus declaratam, & juxta mores, & dignitatem vitæ, quam in ordinando fuerint experti, quorum si major pars ordinando faveat, maneat approbatus, sin autem repulsus, donec de suis defectibus corrigat, & reddat habilem Ordinibus. De his quidem omnibus Commendator, per literas testimoniales certiore faciat Magistrum, vel Provincialem, ut rite, & Canonicè suas literas dimissoriales expediat.

4. Obtena igitur jam licentia, stricissime præcipimus Commendatori, ut qui Sacris Ordinibus initiandus sit, per decem dies continuos non patiat egredi de Conventu, nec Cella, nisi ad actus Conventuales, & Spiritualia Communitatis exercitia, quibus ulterius alia superaddat; ut se ad novum statum condigne disponat, & indulgentiarum beneficia, quæ Paulus V. per dictorum se dierum spatium præparantibus indul. sit, assequatur.

5. Fratres Clerici, qui sine licentia Magistri Generalis, aut Provincialis, eorumve loca tenentium seu falsaris, vel suppositis eorum literis, si quæ etiam quibuscumque aliis subreptitiè suffulti Sacros Ordines susceperint; careant spe dispensationis in Ordine nostro ad illorum exercitium, & habitu exuti a Magistro Generali, vel Provinciali, de consilio duorum Prælatorum mittantur ad triremes per tres annos, de quarum tamen pœna Magister in Capitulo Generali, cum ejus Diffinitoribus ex justis solum, & rationalibus causis poterit dispensare.

6. Si Frater Laicus statum Clericalem, & consequenter minores, & Sacros Ordines suscipere intendat, nullo modo ad id indulgeri, nec facultatem a Provinciali, quacumque ratione obtinere valeat, nisi consulta prius Sacra Congregatione regularium, & cum illius expressa approbatione, sub pœna excommunicationis, ac privationis vocis activæ, & passivæ, nec non officiorum, & dignitatum, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, aliave in posterum obtinenda, in quo etiam taxatur potestas Magistri Generalis, sub eisdem pœnis.

7. Quod si Frater aliquis Laicus absque prædictis licentia, & approbatione Sacris Ordinibus initiari ausus fuerit, confestim damnetur ad triremes per sexennium, quarum penam sic severe infligimus ut Prælatos omnes, eam non exequentes, a Divinis in utroque foro suspendamus.

CAPUT IX.

De Monialibus.

1. Cum omnibus utriusque sexus Deum in Ordine nostro colentibus debitores sumus non-

nulla

nulla Monialibus nostris conferre statuta decrevimus, ut de illis, etiam quantum possumus provideamus; eas igitur omnes, quæ subsunt nostro Ordini ipsius Magistro Generali, & Provinciali subjicimus, quibus sit cura, ut illæ Regulam S. P. N. Augustini sine offensione custodiant, nec non antiqua documenta, & constitutiones sanctimonialium nostri Ordinis cum modificationibus, aut reformationibus constitutionum particularium cujuscumque Provinciæ, vel Conventus; in reliquis autem ad omnium illarum regimen & directionem pertinentibus canones Ecclesiæ sedulo observari præcipimus.

2. Rursus declarando sancimus, ut solum ad Magistrum Ordinis vel Provinciale, seu utriusque locum tenentes privative licentiam ad ingressum, & professionem nostrarum Monialium in scriptis semper expediendam conferre pertineat. Quo circa diligenter caveant, ne quæ ad Chororum admitti postulant ingressum assequantur, nisi perite noverint latine legere, ut debite horas, & Divinum officium persolvere sufficiant. Iisdem quoque conditionibus, aliis de Jure communi & suarum Constitutionum particularium requisitis diligenter invigilent, quibus rite cognitis, & examinatis, per se, vel alios a se designatos, illas ad habitum, & professionem suscipiant.

3. Cum & visitationes facere ad eos consequenter pertineat, similiter constituimus; ut per se quoque, aut Visitatores idoneos earum Monasteria semel in triennio visitent. Uterius, electionibus Commendatricis præsideant, vel alios Ordinis Fratres delegent industria, zelo & prudentia præditos, qui totam electionem peragant, & conducant secundum Decreta Concilii Tridentini sessione 25. cap. 6., & 7.

4. Insuper ordinamus, ut in Diffinitorio Capituli Provincialis cujuslibet Provinciæ eligantur Confessarii pro singulis Sanctimonialium domibus Ordini subiectis, viri quidem provectæ ætatis, & sensuum potius canitie, vel maturitate pollentes, literis etiam, & prudentia decori, quibus severe præcipimus, ne aliquando Claustrum Monialium ingrediantur, nisi dum casus urgeat a jure permissus, quo tamen eveniente numquam solos eos ingredi patimur; sed cum uno focio viro similiter probato, qui ab eorum latere nunquam recedat, sed semper alter ab altero videatur.

5. Præter hos autem, nemo ex aliis Ordinis Fratribus cujuscumque conditionis existat prædictam claustrum ingredi præsumat, quin facultatem a Magistro Generali, vel Provinciali, in scriptis obtineat, quos enixe monemus ne in ea largienda nimis faciles se præbeant, & proclives, sed in casibus a jure, & Apostolicis Constitutionibus dumtaxat præfixis sub pœnis, & Censuris in illis contentis.

6. In Conventibus denuo erigendis nullam Monialium suffragium habere volumus pro electione Commendatricis, nisi elapsis ab eorum constructione duodecim annis: interea tamen pertineat electio ad Magistrum Generalem, vel Provinciale, quibus in hereditate potestas eam faciendi de Monialibus ipsius Conventus, vel alterius nostri Ordinis, prout magis expedire judicaverint, quæ quidem electio de triennio in triennium est semper agenda.

7. Etiam si Moniales nostræ Institutum, & Votum Redemptionis opere adimplere non valeant, quia tamen mens, & animus sunt satis ad meritum, & ferventis cordis oratio aliquando vincula contrivit, idcirco universis nostri Ordinis Monialibus constituimus, ut in orationibus, & spiritualibus exercitiis, specialiter orent pro Captivis, & Redemptoribus, eorum maxime, dum in redemptionis actu versantur, pro quibus a dimissione illius, usque ad regressum eandem deprecationem in Choro facere præcipi-

mus; prout superius Distinct. 2. Cap. 7. ordinatum est.

8. Quo circa eisdem severissime præcipimus ut in suis Ecclesiis Capellam, arculamve habeant, in quam fideles pro redimendis Captivis elemosynas inferant; tandem in id iuste incumbant, ut Sacrista, seu alia persona singulis diebus præfatam elemosynam exigat.

CAPUT X.

De Susceptione, & Regimine Tertiavorum.

1. Monialibus utcumque directis, expedit etiam, ut Tertiarios non prætermittamus, de quorum pietate bonum in Christo odorem ab ipso Religionis limine plerumque suscepimus, ut illis ergo cujuscumque sexus extiterint, non sine delectu, & consilio Ordinis pateat ingressus, præcipimus Commendatoribus, & Prælatibus localibus, ne unquam Tertiarium aliquem, vel Tertiariam instituant, nisi prævia in scriptis Magistri Generalis, vel Provincialis facultate.

2. Circa Tertiarias autem non claustraliter viventes nullam omnino licentiam a prædictis Magistro, & Provinciali dispensari volumus nisi prius fide digno Testimonio eis constet de morum integritate, & rei familiaris copia, quæ victui sufficere possit, cum reliquis qualitatibus ad id jure requisitis.

3. Sub dictis ergo conditionibus, & non aliter, præfatus Magister, aut Provincialis, licentiam tribuant Prælati locali, ut possit ejusmodi feminas induere. Huic autem stricte præcipimus, ut tam in istis, quam in aliis cujuscumque sexus Tertiariis induendis, servet omnino Breve Apostolicum S. D. N. Innocentii XI. Ordini nostro expeditum, quod incipit: *Nuper pro parte &c.* Datum Romæ die 30. Septemb. 1680. ubi statuitur non licere Superioribus localibus Ordinis delegare auctoritatem conferendi habitum prædictis Tertiariis, sed hoc pertinere ad ipsos privative, posse tamen semel indutos per se ipsos regere, & instituire, vel si mallent aliquem Fratrem Ordinis designare, virum probum, & spectabilem, qui eos inserviat in iis, quæ observare debent.

4. Omnibus vero Tertiariis utriusque sexus, tam intra, quam extra claustra degentibus salubriter constituimus, ut primo Regulam Sancti P. N. Augustini præ manibus habeant, & prout congruat statui inviolabiliter observent, ulterius etiam Constitutiones pro ipsorum modulo, & conditione contextas ad observantiam ducant, & super omnia sic Prælatibus obediant, ut juxta suum propositum, aut simplicem Votorum Professionem, pie, & laudabiliter vivere censeantur, & dignam retributionem promereant a Domino. De his ergo debet eos impense præmonere Director illorum, & plus, minusve hujusmodi regularis disciplinæ observantias, & obligationem commendare, secundum eorum distinctionem, & vitæ ab ipsis propositæ differentiam.

5. Universis tamen pium onus pro Captivis orandi subjungat, quia illorum redemptio est specialis finis Ordinis nostri cujus habitum, seu Professionem, qui quomodocumque susceperit eorum subsidio respective se consecrat, ut pro illis redimendis, quantum possit, & se adstrinxerit elaborer, aut saltem pretium orationis impendat.

6. Præterea Director, Tertiariis omnibus claustraliter viventibus declaret eos in hujusmodi pietatis præmium cunctis potiri gratis, indulgentiis, peccatorumque remissionibus Fratribus professis nostri Ordinis indultis absque ullo penitus discrimine juxta formam, & tenorem Bullæ in eorum favorem a SS. Innocentio XI. specialiter expeditæ, quæ incipit: *Cum sicut*, sub

Datis Romæ die 8. Augusti 1681. claustraliter vero non viventibus indulta edisserat, & gratias ipsifmet ab eodem Innocentio XI. concessas juxta Bullæ seriem *Nuper pro parte* incipientis sub datum ibidem die 22. ejusdem mensis, & anni.

CAPUT XI.

De Confraternitatibus Scapularii nostri Ordinis, deque institutione, & sodalitatibus eorum.

1. Quamquam ab antiquis temporibus, ex Constitutionibus Apostolicis usus semper viguerit præfatam Confraternitatem erigendi, ipsique alias extra Ordinem aggregandi; dudum tamen SS. Clemens IX. in sua Bulla, quæ incipit: *Insuper eminenti* sub Datis Romæ 7. Idus Septembris, Anno Incarnationis Domini 1668. sui Pontificatus secundo de integro facultatem indulgit, tam Magistro Generali nostræ observantiæ, quam etiam vice Generali ejusdem Excalceatæ familiæ, eorumque respectiue Procuratoribus Generalibus in perpetuum, ut utriusque sexus Confraternitates, tam sub invocatione B. Mariæ de Mercede, quam alia quavis nuncupatione, ubique locorum erigere, & instituere valeat, illasque sic erectas, & institutas illius Archiconfraternitatibus aggregare, ipsisque communicare omnes ejus gratias, privilegia, & indulta; servata tamen forma a SS. Clemente VIII. super hujusmodi erectionibus, & aggregationibus constituta.

2. Ex his autem ubicumque erigenda sit Confraternitas nostri habitus sub invocatione B. Mariæ de Mercede, tam in Ecclesiis Ordinis, quam extraneis semper id fiat de consensu, auctoritate, & Literis Magistri Generalis Ordinis; vel ejusdem Procuratoris Generalis in Urbe, qui quidem consensus, & Literæ in capite Libri ipsius Confraternitatis intextantur.

3. Ut igitur in Confraternitatibus erigendis forma a Clemente VIII. præscripta servetur, prædictus primo Magister, aut Procurator satagere debet, ut ante omnia facultas ex Ordinario loci, ubi Confraternitas sit instituenda comparetur, cujus Literis testimonialibus sibi liquido constat de approbatione illius, & ejus Christianæ pietatis, & Statutorum, quibus exercere intendit; secundo cavere debeat ne inibi, alibiue locorum ad tria milliaria circumjacentium, alia prius Confraternitas erecta sit, licet super hac distantia, ob justam causam ab Ordinario loci approbatam dispensare, & in loco viciniore novam institutionem facere possit. Tertio ea tantum Confraternitati, quam erigit, privilegia, Indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, & indulta communicare debet, quæ Ordini nostro, seu Archiconfraternitati in specie sunt concessa; non autem, quæ per extensionem, vel communicationem indulta, neque insuper hanc communicationem faciat sub generali forma, & ad instar, sed expresse, & in specie singula privilegia, & spirituales gratias referendo, prout specialiter continentur in Bulla SS. Innocentii XI. quæ incipit *Exponi nobis*; sub Datis Romæ die 23. Decembris Anno Domini 1678., & sui Pontificatus tertio, aut in aliis, quæ nunc, aut pro tempore emanaverint.

4. Ad institutionem autem hujusmodi Confraternitatis in Ecclesiis nostris, semper a quibusdam discretis Fratribus, una cum futuris sodalibus aliqua prius condantur statuta, seu leges, quibus recto Ordine juxta finem ejus, & pietatis officia dirigatur, inter quæ id minime præmittendum quod scilicet Prælatus Domus, vel Frater alius ab ipso designatus sodalium Congregationibus intersit, tamquam eorum director, & Voto gaudens decisivo in omnibus.

5. Et ne, quod in nostri Ordinis beneficium a Summis Pontificibus concessum fuit ipsi aliquando noceat, ordinamus, ut Magister Confrater-

nitatem nostram in alienis Ecclesiis præsertim regularium, non instituat nisi sub hac expressa conditione, quod si noster Ordo domum in eodem loco temporis decursu fundaverit, institutio Confraternitatis in aliena Ecclesia facta, eo ipso penitus expiret, & nullius reddatur valoris, quin potius Magister novam tunc erectionem in Ecclesia nostra servatis servandis facere possit. Hæc autem omnia sic firmare studeat, ut tam Superiores cæterarum Ecclesiarum, in quibus instituenda fuerit Confraternitas, quam ipsi Confratres juramento promittant, se nunquam directe, neque indirecte, nec per se, neque per alios impedimento fore, quo minus nos, si occurrat occasio, novum ibi Monasterium acquirere valeamus; imo expresse protestentur se ad id quatenus opus fuerit ex nunc pro tunc suum præbere consentium.

6. Cæterum quia, & erectio nostræ sodalitati Scapularii, & aggregatio alterius ad illam semper debet cedere in Beneficium Redemptionis, ut in illam utraque, juxta mentem, & verba præfati Clementis X. sedulo incumbat. Idcirco tam sodalibus nostræ Confraternitatis de Mercede, quam alterius isti aggregatae statuimus, ut primo sodalem aliquem designent, qui diebus festis petat elemosynam pro captivis in Ecclesiis ad prædictas Confraternitates respectiue pertinentibus: secundo, ut singulis diebus omnes sodales utriusque sexus ter Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam recitent, pro patientia, & fortitudine Captivis fidelibus impetranda; tertio, ut Confratres nostri jejument Sabbatis, omnibusque Vigiliis Festorum Beate Virginis Mariæ præcipue revelationis, & apparitionis ejus ad nostri Ordinis foundationem.

7. Qui ergo Confrater esse voluerit rite, & recte susceptus, & bonorum omnium spiritualium, quæ nostræ sodalitati Scapularii ex dispensatione Apostolica sunt concessa, fieri particeps, in libro Confraternitatis scribi debet, & Scapularium ab aliquo Superiore Ordinis, vel ab eo potestatem habente benedictum, una cum scuto suscipere, juxta formam, sequenti capite, tradendam, illudque jugiter deferre, quamquam eo amisso, usque consumpto possit aliud non benedictum assumere. Potestas autem ad benedictionem Scapularii præstandam, sit privative penes omnes Ordinis Prælatos, hoc tamen servato discrimine, quod Magister potest illud pro tota Ecclesia benedicere. Provincialis pro tota Provincia, & uterque pariter benedictionem, & traditionem ejus delegare. Prælatus vero localis non ad benedictionem, sed ad traditionem dumtaxat illius suam facultatem subdelegare valet. Insuper, ut sodales actu consequantur indulgentias, & gratias nostræ Confraternitati concessas, debent opere implere omnia pietatis opera, quæ pro singulis assequendis constituta sunt a Summis Pontificibus.

CAPUT XII.

De suscipientibus ex devotione Scapularium, & recipiendis ad beneficia Ordinis, & forma utriusque servanda.

1. Si aliquis ex devotione habitum nostrum, vel Scapularium cum Ordinis signo gestare voluerit, prius illud benedicatur a Prælato, vel ab eo potestatem habente, qui simul induat postulantiem, & utrumque fiat ut sequitur.

Benedictio Scapularii.

℞. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.

℞. Et salutare tuum da nobis.

℞. Dominus vobiscum.

℞. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

O R E M U S.

Domine Jesu Christe, qui regimen nostræ mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensæ largitatis tuæ abundantiam, ut hunc habitum, quem Sancti Patres ad innocentiam, & sanctitatis indicium ferre sanxerunt, ita bene & dicere digneris, ut qui usus fuerit, te induere mereatur. Qui vivis, & regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen. Deinde aspergat habitum aqua benedicta, & eo postulantem induat dicens: *Ego auctoritate Domini nostri Jesu Christi, & Apostolorum Petri, & Pauli, & mihi ab Ordine commissa, do tibi Habitum Religionis nostræ, propter devotionem, quam geris ad Sacratissimam, & Immaculatam Matrem Dei Mariam, & Ordinem ejus, suo nomine fundatum, cum quo in presenti gratiam Spiritus Sancti adipisci valeas, & in futuro seculo gloriam æternam, que præmium est electorum: In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

Postea dicatur Hymnus: *Veni Creator Spiritus. Distinct. 4. Cap. 4.*

✠. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur.
R. Et renovabis faciem terræ.
✠. Salvum fac servum tuum.
R. Deus meus sperantem in te.
✠. Dominus vobiscum.
R. Et cum Spiritu tuo.

O R E M U S.

Adesto Domine supplicationibus nostris, ut hunc famulum tuum (vel famulam tuam) bene & dicere digneris, cui in tuo Sancto Nomine Habitum Sacre Religionis nostræ imponimus, quem ex devotione cupit portare dum vitam duxerit in humanis, ut te largiente, & devotus (vel devota) in Ecclesia persistere, & vitam percipere mereatur æternam. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

2. Si quis vero desiderat Fraternitatem nostram, & Beneficiorum Ordinis nostri partem fieri, constituatur flexis genibus ante Prælatum, qui stans dicat: *Ad te levavi &c. Gloria Patri &c. ut in Distinct. 3. cap. 15., deinde Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison, Pater noster.*

✠. Et ne nos inducas in tentationem.
R. Sed libera nos a malo.
✠. Salvum fac servum tuum.
R. Deus meus sperantem in te.
✠. Dominus vobiscum.
R. Et cum Spiritu tuo.

O R E M U S.

Præstende Domine famulo tuo (vel famulæ tuæ) dexteram cælestis auxilii, ut te toto corde perquirat, & quod digne postulat assequatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen. *Et ego auctoritate Domini nostri Jesu Christi, & Apostolorum Petri, & Pauli, & potestate mihi ab Ordine commissa, do tibi participationem in omnibus, que Dominus dederit fieri per Fratres nostros, sive sint Missæ, orationes, jejunia, vigilia, disciplina, prædicationes, vel alii labores, maxime Redemptionis Captivorum, ad quam noster Ordo dicatus est, sive alia quæcumque bona, ad qua omnia, & singula, te recipio: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

Similis forma in benedicendo, tradendoque Habitu Confratres fieri volentibus observetur.

D I S T I N C T I O Q U I N T A.

De culpis, & transgressionibus Regularibus earumque penis.

Sicut Dominus primo plantavit Paradisum, deinde vero hominem a se conditum in eo posuit, qui operaret, & custodiret illum, & tertio tandem pœna mortis deterruit, si legem sibi

latam frangeret; nec juxta loci sanctitudinem viveret: ita nos pariter ab initio in primis tribus distinctionibus Paradisum Religionis nostræ in tota substantia, & integritate plantavimus; in quarta vero Fratres posuimus, qui operentur, & custodiant disciplinam. Nunc autem cum ad quintam accedimus, eam de transgressionibus, & pœnis usque ad exilium, & repullam ab hoc Paradiso instituimus.

C A P U T I.

De culpis Regularibus, & penis earum in genere.

1. Audito hic nomine culpæ, caveant Fratres, ne per illud culpam essentialem, aut Theologicam semper intelligant, quæ mortaliter, aut venialiter lædat; nomen enim culpæ in præsentibus si consideretur ut pura transgressio simplicis Constitutionis, aut Regulæ, solum usurpari debet pro culpa legali, quatenus respicit pœnam legis, cui nos omnes, etiam sine vera culpa subjicimur. Alia verò transgredi possumus, quæ ex qualitatibus, vel materia ad culpam essentialem pertineant.

2. Culpas autem hujusmodi in quatuor genera dividimus, videlicet in levem, gravem, graviorem, & gravissimam. Illam quidem levem appellamus, quæ ex levi, aut veniali malitia committitur, vel est tantum pura regularis transgressio ex sola inadvertentia, cum fragilitate, & absque ulla speciali malitiâ procedens. Reliquas vero, vel dicimus graves ex solo majori pondere materiæ a Regula tantum, seu Constitutionibus simpliciter ordinatæ, etiam si absit malitiâ, & vera ratio culpæ, vel eas graviores, aut gravissimas nuncupamus ratione adjuncti præcepti contemptus, seu gravis malitiæ, secundum magis, & minus ex lege Divina, vel Ecclesiastica provenientis.

3. Et licet ad hæc quatuor genera culparum omnis transgressio Regulæ, Constitutionum, Votorum, & quorumcumque præceptorum reducatur, eo quod materia sit semper ex se, vel circumstantiis levis, gravis, gravior, aut gravissima, non omnes tamen, sed aliquos tantum sub distinctis generibus immediate constituimus, non solum quia eas diligentius vitari intendimus, sed eo maxime, ut Prælati ad earum similitudinem pro reliquis, pœnas inferant; ubi non fuerint a lege taxatæ, & cum opus fuerit eas prohibere sub pœna gravis, gravioris, aut gravissimæ culpæ, mensuram in exemplis habeant unde pœnas prudenter, & prohibitiones addiscant.

4. Tandem itaque ut circa pœnas culparum inferius designandas, & univèrsim omnes alias, quæ sunt in nostris Constitutionibus dispersæ, aut a Prælati imponendæ recta ratio habeatur, ut tam jure, quam prudentia delinquentibus inferantur, decernimus, & declaramus, quod nullis pœnis in Constitutionibus, seu alibi infligendis (nisi sit pœna excommunicationis lætæ sententiæ) sit aliquis in Ordine obnoxius usque dum Prælati declaratio superveniat.

C A P U T II.

De levi culpa.

1. Cum de parvis transgressionibus agimus, quas, vel nulla, aut levis malitia perpetrat, non omnes quidem ad censuram ducimus, sed quas specialiter regularis observantia commendat, & magis vitari intendimus unde levis culpa est. Si quis mox, ut signum factum fuerit non statim relictis omnibus ad Chorum devote, & festinanter Deum laudaturus se conferat. Si quis in Choro legendo, cantandove offenderit, & non statim coram omnibus humiliter se prosternerit. Si quis Divino Officio non intentus, vagis oculis, & motu incomposito aliquam mentis le-

vitatem

vitatem ostenderit. Si quis in Ecclesia, Refectorio, aut Dormitorio silentium frerit, vel strepitum aliquem concitaverit, seu ibidem riserit, five aliis Fratribus causam ridendi præbuerit. Si quis lectiones, vel alia quæ in Choro legere, aut cantare debuit, non satis ea præviderit.

2. Item levis culpa est si quis elemosynas redemptionis exigendo, five inter sæculares quomodocumque versando otiosa locutus fuerit, vel commiserit. Si quis in vigilia Natalis Domini non interfuerit mature Capitulo, ut prænuntiatis Redemptionis nostræ exordiis Deo Redemptori nostro mente, & corpore gratias referat. Si quis dormitando in Choro, se non sobriū, ac devotum insinuet.

3. Insuper levem culpam dicimus, si quis Altaris, vel Ecclesiæ ornamenta, seu libros non advertenter, & accurate tractaverit. Si de concessis ad usum alicui Fratri nonnulla pauca sine ipsius licentia acceperit. Si quidquam utensilium frerit, vel emiserit; si quid cibi, aut potus effuderit, aut de hujusmodi quidpiam, sine Benedictione sumpserit. Si quis horam, qua in Conventum debet venire protraxerit. Si communi refectio aliquando non adfuerit. Si commune mandatum leviter impositum præterierit.

4. Denique levem culpam incurrit, qui vestes suas, aut libros loco statuto non deposuerit ordinate, vel eis negligenter usus fuerit. Si quis leve mendacium dixerit. Si quis literas scribat, vel recipiat sine speciali licentia Prælati. Si quis de victu, & vestitu querimoniam fecerit.

5. De his ergo, aliisque similibus Fratres se in Capitulo accusent, & aliis humiliter veniam postulantibus injungatur a Prælati aliquis Psalmus in penam, quem flexis genibus recitent, vel quod Terram, aut pedes Fratrum humiliter deosculentur, qui autem de illis non se accusaverint, majorem penam subeant, juxta Superioris arbitrium. Sciant tamen omnes, qui hanc humilitatem impleverint lucrum indulgentiarum assequi a Paulo V. Apostolica dignatione dispensatum.

CAPUT III.

De gravi Culpa.

1. Gravis culpa est, si quis ultra modum cum aliquo in judicio contenderit. Si Frater cum Fratre intra, vel extra Monasterium lites habuerit. Si quis alicui Fratri aliquam non gravem contumeliam objecerit. Si quis in alium Fratrem se verbis inordinatis invexerit. Si quis jejunia Ordinis sine justa Causa violaverit. Si quis ad communes disciplinas non convenerit. Si quis ab Oratione Mentali semel, atque iterum abfuerit. Si quis ad Capitulum quotidianum non accesserit. Si quis silentium non tenere in consuetudinem duxerit.

2. Rursus gravem culpam statuimus, si quis sibi concessa, vel donata suscipiat, sine Prælati licentia. Si quis rem parvi momenti, sibi collatam celaverit. Si quis oculos ad vana sæculi immodeste direxerit. Si quis indumenta, vel aliud æqualis, seu majoris ponderis, ex concessis ad usum alicui Fratri propria auctoritate sibi applicare præsumperit.

3. Insuper gravis culpa est: si quis aliquid cum juramento, sine necessitate negaverit, vel protulerit. Si quis immodestum sermonem vaniloquum, aut scurrilia dixerit, vel (quod gravius est) in usū habuerit. Si quis leve mendacium de industria profudisse repertus fuerit. Si quis aliquid dixerit, vel egerit, quo Fratres juste, non tamen graviter offendantur. Si quis in officio cui præpositus est negligenter se gesserit, ut sunt Commendatores, Procuratores, Clavigerii, aut alii quicumque, qui munus sibi impositum levi expleant sollicitudine. Si quis Fratri præteritam culpam (levem scilicet, aut

gravem) pro qua jam satisfecerit exprobaverit. Si quis cum femina, vel suspecta, vel in loco suspecto locutus fuerit.

4. Uterius ut gravis culpæ reum puniri statuiamus: si quis cum licentia Prælati egressus a Monasterio ultra terminum assignatum moram fecerit. Si quis de via veniens eadem hora Benedictionem a Prælati non susceperit. Si quis interiorem laneam tunicam, sine dispensatione Prælati, si vestes insuper laneas, & omnino albas, etiam iter faciens non induerit. Si quis in ipso itinere, vel ubicumque extra domum signum Ordinis, vel sursum non gestaverit. Si quis cum fugitivis, & apostatis, quandiu penitentem consuetudinem, & familiaritatem habuerit. Si quis ubi Conventus Ordinis adest extra illum pernoctare ausus fuerit.

5. Amplius gravis culpa sit, & severissime vindicanda, si quis publice pilam, publice, vel privatim talos, ludifolia, aut alia fortitudia de jure prohibita, seu quoscumque profanos ludos exercuisse repertus fuerit.

6. Adhuc culpam gravem dicimus, si quis molestiam, injuriam, aut quodcumque aliud damnum sibi a Fratribus illatum Parentibus, Cognatis, vel amicis, quasi pro solatio aperuerit. Si quis petitiones, & literas, quæ pro negotiis Conventuum mittuntur ad Superiores subscripserit, nisi prius in Capitulo pleno legantur, ibique publice subscribantur ab omnibus. Si quis aliquam de his gravibus, aut levibus culpis in se, vel alio proterve defenderit.

7. Pro his ergo, & similibus culpis, qui veniam sine proclamatione exoraverit, correptione suscepta, vel etiam disciplina adhibita, si juxta qualitatem culpæ Prælati placuerit tres dies in pane, & aqua jejundet. Proclamatus autem, & in Confessione obduratus, si sit aliunde convictus, juxta duritiam sui cordis districtius a Prælati puniatur.

CAPUT IV.

De graviore Culpa.

1. Ad graviorem culpam sequentia crimina ducimus. Primo enim si quis peccatum lethale commiserit. Si quis latro domesticus, vel ebrius deprehensus fuerit. Si quis in Patres majores, aut stirpem alicujus Fratris turpe quidquam, vel indecorum objecerit, vel eadem in judicium Ordinis deferat, quæ testimonio nostrorum Fratrum probare nequiverit. Si quis de bonis sibi collatis, five ad usum permisis quidquam in materia gravi Prælati celaverit. Si quis jejunia ab Ecclesia locis, seu diæcesibus instituta, temere violaverit. Si quis literas cujuscumque ad se non directas refecere, legere, aut abscondere audeat, nisi fuerit Prælati illius ad quem diriguntur. Si quis in Curia sæculari pro Causa aliena testimonium cum juramento perhibeat, sine licentia Prælati, & potissime si pretio, odio, vel amore id præstiterit. Si quis præceptum obedientiæ a Prælati, vel Constitutionibus impositum præterierit. Si quis Votum castitatis temeraverit.

2. Ad hanc etiam culpam trahimus, si quis per contumaciam, vel manifestam rebellionem suo Prælati fuerit inobediens, vel cum eo proterviter contendere ausu temerario præsumperit. Si quis pro declinanda obedientia sibi, vel alteri injungenda, seu posita, vel pro Conventionalitate assequenda, seu mutanda, vel pro impetrandi officio, dignitate, aut gradu, five pro aliis quibuscumque a Prælati Ordinis obtinendis per se, vel alium, favores extra Ordinem procuraverit.

3. Id genus præterea sunt si Prælati infirmis Fratribus, quæ Medicus præceperit, & eorum valetudini fuerint necessaria, non opportune providerit. Si quis sine voce, vel munere

ad Capitulum Generale, vel Provinciale accesserit, sine speciali licentia in scriptis a Magistro, vel Provinciali respective concessa. Si quis scribens ad Capitulum, de his quæ ad statum Ordinis, aut alicujus domus monere conveniat vera non scripsisse convictus fuerit. Si Commendator rationem reddens in Capitulo de Domo sibi credita Diffinitorium falsa narratione deceperit. Si quis aditum fœminis ad Clausuram patefecerit, easve deduxerit, aut intrasse permiserit. Si quis sine licentia Prælatis a Monasterio egrediatur.

4. Iterum culpa gravior est, si quis bona Ordinis ad curam sibi tradita dissipaverit. Si quis ab statutis, ordinationibus, & correctionibus Ordinis, vel Commendatorum obedientia ad alium Judicem appellaverit, vel etiam si Prælatis legitimos, & ordinarios recusatione depulerit. Si quis extra viam juris, exemptionem ab Ordinis obedientia, vel correctione procuraverit. Si quis Fratrem, vel Ordinem nostrum in aliquod apud alias quascumque personas diffamaverit. Si quis arma offensiva habuerit, vel portaverit. Si quis in sententiam excommunicationis rite latam scienter incidit.

5. Qui ergo hujusmodi culpas commiserit, si de his proclamatus sponte confiteatur, & veniam obsecrans immanitatem sui sceleris lacrimabiliter planxerit, vapulet juxta qualitatem suæ respicientiæ, & criminis, & per duos menses incarcerationatus, omnibus sextis feriis in Refectorio super nudam terram jejuniium panis, & aquæ sustineat. Aliis vero diebus, sicut ceteri Fratres reficiatur. Quod si inconfessus, & renuens legitime convincatur, prædicta severius augeatur poena, juxta discretionem Prælatis.

6. Si autem poena carceris minuat, & Prælatus ei communem societatem indulgeat, nihilominus prædictam abstinentiam eodem modo indeficienter compleat, donec præfati duo menses finiatur, & sit interea omnium novissimus in Conventu, & qui ob culpam perpetratam non erubuit membrum fieri diaboli, ad tempus (ut respiciat) a consortio ovium Christi maneat segregatus, per quod in eam humilitatem deveniat, ut quatenus se jungitur a societate Fratrum, ita Angelorum consortio se agnoscat indignum. Ipse vero quandiu in hac poenitentia versetur nullo fungatur officio, nisi transactis prædictis duobus mensibus, neque in aliquo vocem habeat, nisi in accusatione sui. Illis vero elapsis, & peracta hujusmodi poenitentia ad pristinum statum reducat.

7. Quoniam autem præter dicta crimina, sunt alia nonnulla sub genere gravioris culpæ designanda, quæ ob specialem sui malitiam, speciales quoque poenas exigunt, ultra superius declaratas: idcirco sequentia addere constituimus. Si quis enim gesta nostri Ordinis, punitiones, aut alia, quæ prudenter decet signari silentio in medium proferat, & aperiat, graviolem culpam commississe declaramus, & præter communem poenam de cætero hujusmodi proditorum Ordinis ab universis ejus consiliis, & electionibus perpetuo depellimus. Si quis Fratrem a carcere extraxerit, aut instrumentum porrigat, quo illum, & vincula incarcerationatus frerit ejusdem culpæ reum facimus, eisdemque poenis obnoxium, quas merebatur extractus. Si quis ultectius conspirator extiterit quoad vixerit ad aliquam administrationem temporalem, aut spiritualem nostri Ordinis sit ineptus. Si quis sigillis Provincialium, aut Ordinis utantur, & cum illis literas Magistrum, aut Provincialium confingat, omni voce activa, & passiva sit perpetuo privatus, nec illi ad honores ulterius literæ faveant, quas temerarie præsumpsit. Si quis denique usurariam artem, seu mercatorem, vel negotiationem aliquando instituerit, præter ex-

communicationem, suspensionem, & alias poenas a jure inflictas, graviolem culpam cum poenis ejusdem incurrere declaramus, & aliis insuper ad arbitrium Prælatis pro criminis qualitate subjicimus.

CAPUT V.

De gravissima culpa.

1. Ante omnia, gravissima culpa est incorrigibilitas illius, qui nec culpas veretur admittere, nec poenas recusat ferre, vel ex earum sapienter repetita inflictione prudenti judicio cognoscitur non proficere. Item gravissima culpa est. Si quis manus in Prælatus injecerit. Si quis Diabolica temeritate fœminas ad malum, & turpem finem in Clausuram induxerit, vel ibi cum aliqua turpiter egisse, auxiliove fuisse deprehensus fuerit. Si quis secreta, & consilia, quæ in Capitulis versantur, sæcularibus, aut aliis quibuscumque detexerit, unde damnum, seu infamia, aut Ordinis divisio proveniat. Si quis collector Eleemosynarum Redemptionis indulgentias Romanorum Pontificum, ab Ordine non obtenta Populis prædicare præsumpsit.

2. Frater autem, qui scelera prædicta commiserit, vel alia quæcumque a Prælatis, quando fuerit opus sub hoc genere constituta, detrudatur in carcerem tempore sex mensium ferreis vinculis morandus, vel diutius juxta meritum criminis & Prælatorum prudentiam, unde omnibus quartis, & sextis feriis sub eisdem vinculis extractus ad Conventuale prandium ducatur, ut coram Fratribus in medio Refectorii jejunet in pane, & aqua, & dignam flagellationem suscipiat, si fuerit Clericus totum illius caput ad instar laici tondatur, & sic maneat toto tempore quo poeniteat. Si vero fuerit Presbyter & ratione aliqua poena vinculorum, & carceris ex parte ipsi dimittatur, sit tamen a celebratione, & Sacrorum Ordinum exercitio suspensus omni tempore pro suo luendo crimine in hac nostra Constitutione præfixo: Excarceratus autem cujuslibet ille conditionis extiterit per duos menses caputio, & Scapulario intra Monasterium exutus incedat. Clericis vero, & Laicis addimus ut præfatis duobus mensibus sint in Conventu novissimi.

3. Sed quia in his etiam, sicut in gravioribus ultra relata crimina, sunt alia sceleriora, quæ ex sui magnitudine gravioribus poenas a jure taxatas habent vel præfatis exigunt ab Ordine severiores; hac de causa decernimus gravissimam esse culpam si quis Bullas seu instrumenta Pontificum confingere attentaverit, aut illis confectis, usus fuerit. Si quis etiam falsam pecuniam excusserit, vel in usum Populi iniqua fraude disperferit, & ut plura id genus scelera, uno verbo amplectamur, culpam gravissimam ducimus omne illud crimen, quod apud sæculum poenam capitis promeretur, nec non illud quod jure communi, aut nostrorum Constitutionum triribus dignum sit.

4. Illis igitur, qui talia perpetraverint debite prius, & rite convictis, & ante omnia præfatis macerationibus jam correptis poenam ipsarum tririum assignamus pro tempore a Prælatis decernendo juxta gradum, & qualitatem criminis, quam Magister, aut Provincialis cum duobus Diffinitoribus, aut Prælatis judicialiter inferat, non quidem per expulsionem ab Ordine, sed per habitus expoliationem. Sic autem damnatus elapso jam tempore poenitentiae tenetur ad Ordinem regredi, & suis Prælatis presentari, quem & isti similiter tenentur suscipere, & Conventualitatem assignare, ut inter Fratres habitu communi indutus communi consortio perfruat. Volumus tamen ut inter ipsos sit insuper antiquitate posterior, & perpetua infamiae irregularitate obstrictus, quam ex suo delicto, vel

pœna contraxerit, & ita quidem irremissibiliter, ut sola auctoritate Apostolica valeat relaxari.

5. Qui autem ita damnandus sit ad triremes, si ante diffinitivam sententiam earum jam expleverit incarcerationem, & alias pœnas culpis gravissimis superius designatas, nihilominus in carcere detineatur, donec illa fuerit lata a Prælato eadem forma ut superius.

CAPUT VI.

De crimine Apostata & fugitivi.

1. Declaratis hujusmodi, & aliis sequentibus specialiter providere decrevimus, ut specialem immanitatem criminum ostendamus, & quam severe vindicari debeant, cum essentiali professionem, & totam ejus substantiam profituant. Quicumque igitur suæ vocationis oblitus in Apostasiam inciderit, aut habitum temere dimiserit, vel eo etiam retento ab Ordine fugam arripuerit, ipso facto sciat se esse excommunicatum inquam ex nunc ipsum declaramus incursum.

2. Præter has insuper pœnas gravissimæ culpæ superius illatas ipsis superaddimus cum distinctione tamen exequendas juxta diversitatem criminum, & circumstantias eorum. Caterum qui temere habitum dimiserint, præter omnia prædicta sit etiam in Conventu novissimus, & propriam antiquitatem non obtineat, donec per Magistrum Ordinis, aut Provinciale cum eo fuerit dispensatum, modo dispensatio non fiat nisi duobus post annis a regressu ad Ordinem, & de facto inviolabiliter toto tempore Apostasie, quo profugus, & alienus ab Ordine permanferit.

3. Quod si secundo apostataverit, vel auferit, dicta pœna duplicetur, & pariter idipsum fiat, singulis vicibus, quibus talia commiserit. Si vero in se reversus ad Religionem sua sponte redierit & humiliter ad pedes Prælatorum veniam exoraverit, illum tanquam Prodigum ad domum Patris revertentem benigne suscipiant, & mitius cum illo se gerant, nec cum omni acerbitate prædictis pœnis subjiciant, sed eas juxta humilitatem, lacrimas, penitentiam, & labis etiam magnitudinem temperent.

4. Ut ergo huic Ordinis malo, & ipsis ejus desertoribus Prælati, ut Apostatas, & fugitivos nostri Ordinis, si quos noverint evagari diligenter inquirent, & persequantur per se, & per Fratres sibi subditos, & ubique captos ad Ordinem reducant. Quem autem Prælatus comprehenderit, vincum in carcere sui Conventus detineat, aut in alium intra Ordinem tutius servandum transferri faciat, & interea certiore de illo Provinciale reddat, ut Conventum ipsi designet, ubi juxta Decreta Urbani VIII. penitentiam facere, & pœnas solvere debeat.

5. Cum autem Apostata ex aliena Provincia fuerit, id Generali Magistro, & Provinciali cuius ille sit subditus denuntiet, ut ad eundem penitentiam finem de assignatione Conventus, & illius in eum conductione provideant. Si vero Prælati Apostatas, & fugitivos susceperint, vel eos, ut prædicitur sibi notos exacta sollicitudine non requirant, gravissimas se noverint pœnas ipso facto incurrere auctoritate Sanctissimi Urbani VIII. a Sacra Congregatione Concilii Tridentini severissime latas, tam privationis officiorum actualium quam vocis activæ, & passivæ ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, & cum reservatione ad Sanctissimum.

6. Si quis insuper cum sæmina fugam cepert, aut secum bona Ordinis direpta, vel expilata detulerit, puniatur sicut ille qui bis Ordinis Desertor extiterit.

7. Qui vero septa Monasterii frangens, & ab illo in effectu recedens, veram Apostasiam, vel fugam inceperit, & paulo post revertatur, licet brevis temporis nec veram tollit Apostasiam aut fugam, vel excommunicationis incursum,

atque adeo absolvendum esse ab illa censeamus; nolimus tamen ut ita graviter puniatur, ac cæteri, nec pœnis gravissimæ culpæ subjaceat, sed tantum gravioris, quas adhuc attemperare poterit Prælatus, juxta temporis morulam, & revertentis humilitatem, & lacrimas.

8. Ne ergo hæc, & alia crimina ob processum defectum, vel Prælati silentium impunita maneat, omnibus Prælati, etiam Magistro Generali districte præcipimus, ut contra hujusmodi criminosos, ac etiam proprietarios, incorrigibiles, & quoscumque alios graviorem, & gravissimam culpam committentes Processus, & Causas diligentissime instruant, & perficiant usque ad diffinitivam sententiam juxta formam regularibus præscriptam. Finitos autem custodiri, & servari provideant in Archivio communi cujuslibet Provincie usque ad obitum delinquentis. Quod non tantum eo sine institutum, ut prædicta crimina rite, & recte secundum jura puniatur de facto; sed etiam ut post eorum punitionem, si castigatus nova crimina adjiciat, vel in jam correcta relabatur, constare possit de illius incorrigibilitate, si ulterius procedendum sit ad expulsiorem, vel an graviori pleçdendus ex occasione relapsus, post obitum vero delinquentis omnes dicti processus comburantur.

9. Quo circa volumus, ut nec Provincialis, nec Magister Ordinis tales criminosos possint a delicto absolvere, eorumve processus, & causas suspendere, sed illas ad diffinitivam usque sententiam ducere, & duci facere rite, & debite concludendas ad præfatos fines, Processuumque custodiam. Quod si Generalis, vel Provincialis huic ordinationi non pareant, in proxime sequenti Capitulo corrigantur.

10. Qui juxta regularium formam juridice fuerint convicti de triplici Apostasia, vel fuga, cum jam in prima, & secunda processerit debita correctio, confessum pro tertia fuga, vel Apostasia triremium sententiam subeant per tres annos.

11. Fratribus autem præcipimus, ut cum Apostatis, & fugitivis, dum in domibus nostris penitent, nullam familiaritatem instituant.

12. Tandem qui semel apostataverit, de cetero ad nullum officium, vel administrationem temporalem, aut spiritualem admittatur, nisi per Provinciale aut Magistrum post quatuor annos, a regressu ad Ordinem, cum eo fuerit dispensatum.

CAPUT VII.

De crimine proprietatis.

1. Ut proprietatis iniquitas, quæ est omnium malorum radix, & origo ex fratrum cordibus deleatur, & hæc Evangelica dilectione paupertatis incalcat, Commendatoribus universis sub pœna privationis officii per sex menses statuimus, ut die jam superius in hac nostra Constitutione præfixo, ad inventarium de concessis ad usum Prælato resignandum, congregato Capitulo, fratres suos de perfecta rerum temporalium abdicatione ferventer admoncant, illisque pariter infligant, vel denuntient excommunicationis sententiam jure hujus nostre Constitutionis illatam, aliasque de jure pœnas adversus hanc execrabilem proprietatis malitiam, & cordis cupiditatem incussas, quam eisdem, & esse sacrilegium, & veram furti fœditatem includere prudenter exponant.

2. Si quis autem de proprietate convictus fuerit, præter gravioris culpæ pœnas, & excommunicationis majoris sententiam illius superius impositas juxta decreta Concilii Tridentini, eum per biennium voce activa, & passiva privatum declaramus: pecunias vero, aut alia quæcumque bona illius, qui de proprietatis crimine convictus fuerit, Commendator apprehendat,

statim-

statimque moneat Magistrum, & Provinciale, ut de illis prudenter, & cum æquitate, provideant, attento jure domus, vel cujuscumque alterius, ad quem ex æquo pertineant.

3. Frater insuper, qui per se, vel alium mercaturam, aut usuram instituit, seu etiam ille, qui bona, & res Conventus, aut Ordinis furtive, & quomodolibet injuste alienaverit, tamquam vere proprietarium præsentis Constitutione declaramus, & pœnis ejusdem criminis subjicimus.

4. Qui autem proprietarius (quod Deus arceat) e vitâ decesserit tanquam Judæ socius sepultura Ecclesiastica privatus in campo sepeliatur.

CAPUT VIII.

De Appellationibus, & recusationibus frustratoriis.

1. Cum naturæ humanæ conditio prona, & facilis sit ad malum, & plures sui status, & professionis immemores litigia, & discordias occasione appellandi anxie perquirant, ut sub querimoniarum, supplicationum, & appellationum velamento evagandi anam arripiant, & sub sanctitatis prætextu bona Ordinis in detestabiles usus consumant in nostræ Religionis iacturam, & Divinæ Majestatis offensam, præsentis Constitutione in virtute Spiritus Sancti, & sub excommunicationis sententia præcipimus, ne quis Capitulo, vel extra, in aliquo loco quacumque dignitate in Ordine, statu, vel conditione sit præditus, audeat ab statutis, ordinationibus, correctionibus, vel obedientia Magistrum Generalis, Provincialis, Diffinitorii, aut cujuscumque Prælati alium Judicem (salva semper auctoritate Apostolica) appellare, vel per viam appellationis, aut cujusvis quarimonie eorum iudicio non acquiescere.

2. Transgressor vero hujus dispositionis, ut pœnam gravioris culpæ, absque spe relaxationis incurrat constituimus, quam si forte sustinere teneuerit, ex nunc pro tunc ipso facto excommunicamus, rursus etiam illum in carcerem includi præcipimus, inhabilemque ad omnem administrationem spiritualem, vel temporalem manere in perpetuum. Qua de pœna solus per se Magister, vel Provincialis cum Diffinitorio, & prævia correctione, ac validis pœnitentiæ gemitibus dispensare possit.

3. Quod si in eam vesaniam audaciamque devenierit, ut ad profana sæculi tribunalia confugiat, & ad illa quovis prætextu, aut quæsto colore, causas ordinis, & earum appellationes deferat, quicumque ille fuerit, & quavis conditione, dignitate, vel gradu insignitus, se noverit incursum in excommunicationis sententiam a Sanctissimo Clemente VIII. in hujusmodi audaces severissime latam, solique Romano Pontifici citra mortis articulum reservatam, necnon in privationem perpetuam utriusque vocis, officiorum, & dignitatum, ac etiam inhabilitatem ad illa ipso facto, & absque declaratione aliqua: quas pœnas non dissimiliter participant omnes illi, qui directe, aut indirecte favent, & consulunt præfato recursum.

4. Similiter etiam præcipimus, ut nemo ex nostris fratribus in suis causis judicialibus Prælatos Ordinis legitimos, & Ordinarios recusare valeat, nisi iusta adsit, & gravissima ratio, quam recusator probare teneatur, nec illa valorem habeat, priusquam esse rationabilem censeatur per duos Patres ab eo videlicet eligendos, qui Prælati recusati Superior fuerit immediatus. Probatio autem a recusante fiat intra terminum a prædictis Patribus sibi designatum. Interea vero dum intra illum de iusta recusatione agitur, Prælati recusati causas, quæ apud illos versantur omnino suspendant. Si autem recusator in probatione defecerit, voce activa, & passiva maneat per

decennium privatus, & biennio sub pœna reclusionis, & gravioris culpæ de sua levitate, & temeritate pœniteat.

CAPUT IX.

De impetrantibus favores, & literas deprecatorias pro captandis honoribus.

1. Cum in electionibus ad officia, & collationibus dignitatum Ordinis summopere cavere debeamus, ne hæc eadem per favores extraneos, aut potentum deprecationes, & literas extorqueantur a fratribus, unde, vel Ordo, ejusque regimen obturbetur, seu deprimat æquitas, vel Prælati in arcto positi pendeant, a favoribus autem amoventes deprecantium in se, vel Ordinis indignationem concitent; idcirco sub formalis obedientiæ præcepto statuimus, & ordinamus; ut nemo ex nostri Ordinis fratribus ab aliqua persona extra illum, quacumque dignitate, gradu, vel eminentia præcellat, neque a communitate aliqua populi, vel urbe, seu quolibet alio senatu, congregatione, vel cœtu, per se, vel alium, aut alios preces, vel literas deprecatorias, comminatorias, monitorias, commendatorias, aut quascumque alias, ad Magistrum Generalem, Provinciale, Capitulum vel ejus Diffinitores, seu etiam ad Ordinem, quovis modo directas pro dignitate aliqua, officio, aut alio quocumque honore obtinendo, quomodolibet impetret, vel impetrare contendat.

2. Si quis autem aliquid de prædictis tam in genere, quam in specie, hac via procuraverit, vel etiam obtinuerit, necnon qui dictis favoribus, aut literis impetrandis auxilium dederit, aut eorum quoquo modo impetrationem participaverit, ac etiam qui illis sponte oblati, & minime conquestis usus fuerit præter pœnam gravioris culpæ privatus maneat voce activa, & passiva, ac omnibus honoribus, gradibus, & officiis obtentis, & cum perpetua inhabilitate ad illa, quas pœnas ipso facto incurrendas declaramus, universis vero Prælati præcipimus, ne illas unquam aliqua ratione modificent, nec præfatis literis, aut favoribus quomodolibet acquiescant.

3. Quod si frater aliquis extra prædicta pro quavis alia gratia, ut conventualitate, studio, impunitate culpæ, aut similibus præfatos favores applicaverit, unde Prælatorum regimen, & regularis vitæ semita disturbetur, gravioris culpæ pœnis sine relaxatione, etiam a Magistro subiacet.

CAPUT X.

De culpa, & pœnis incorrigibilium.

1. Qualiter hujusmodi scelerati probari, & agnosci debeant satis jure communi, & præcipue decretis Sacræ Congregationis Concilii auctoritate Sani Urbani VIII. editis luculenter instruimus, ut non solum de illis disciplinis regularibus rite, & canonicè vindictam sumat, sed etiam, ut vel ad eos tempus iusto iudicio a communi societate separatos, quo pœniteant, vel a se perpetuo repellat, ut gregem Domini non inficiant.

2. Cum ergo aliquis ex suæ proterviæ, & indurationis merito sit repellendus ab Ordine, id minime fiat, nisi vere juxta juris communis dispositionem censeatur incorrigibilis, & penes dicta decreta Sacræ Congregationis Concilii per unum annum in jejuniis, & pœnitentiis in carcere probetur. Quo elapso si non melioris frugis evaserit, quin potius in eadem, aut nova, & similia scelera dilabatur, tunc quasi putre membrum a religionis corpore præcidatur, ne in illud morbus accrescat, fiat tamen iudicio solius Magistrum Ordinis de consensu, & assensu sex Parrum de gravioribus religionis, quos juxta concessionem Alexandri VII. fore decernimus in singulis Pro-

vinciis totius Ordinis quatuor Diffinitores Provinciales, & duos Diffinitores Generales, vel istorum defectu duos Electores generales ejusdem Provinciae, ita videlicet, ut in quacumque Provincia Generalis extiterit, in ipsa cum praedictis Patribus, & Diffinitoribus, seu Electoribus illius, de quocumque fratre Ordinis possit ferre sententiam.

3. Probatio autem de his omnibus sic rite, & canonicè fiat, si quis enim in causis inferius designandis deliquerit, conficiendus est legitime processus ad formam regularibus constitutam, & per sententiam puniendus, quod si secundo in idem, vel aliud simile, aut gravius delictum inciderit factu denuo processu per novam sententiam corripiatur, & pariter moneatur, ut ab hujusmodi criminibus resipiscat, sub poenis incorrigibili debitis. Si tertio tandem deliquerit in praedictis, instructo iterum alio processu, & sententia lata ad poenas incorrigibili designatas condemnabitur, & potissime ad carcerem per unum annum.

4. Ut ergo scelera pateant de quorum repetito lapsu, & tandem de incorrigibilitate reus convinci debeat, denuoque repelli sententia maxime designatus, videlicet Apostasiam, vel fugam, expilationem, vel dissipationem bonorum Redemptionis, & Ordinis frequentes cum aliis fratribus contentiones, & rixas cum gravi percussione violenta, & praecipue si haec eadem conspiratio insuper, vel seditio in Praelatos exerceantur, partialitates, & divisiones in Conventibus quasi more castrorum agere, vel fovere, clausurae violationem, carnis lapsum cum quolibet complice patratum, falsam accusationem, seu testimonium falsum literarum Apostolicarum, vel etiam Superiorum Ordinis confictionem, rapinam, & furtum, ebrietatem, ingressum ad Monasteria Monialium, veneficium, vel alia id genus flagitia, & enormia scelera saepius iterata, & correctionibus non emendata.

5. Statim igitur, ac pro istis rite, & debite fuerit Frater expulsus debet Magister Ordinis sententiam in eum latam, notam facere Diocesano Loci, & eum pariter habitu clericali indutum illius juri, & obedientiae subijcere, ipsum autem expulsam de sequentibus admonere. Primum per expulsionem non relaxari illius vota Ordini nostro essentialia, & ab ipso in professione emissa, sed suspendi dumtaxat in his videlicet, quae status expulsorum non patitur; in illis vero quae non repugnant adstringi omnino ad eorum observantiam. Secundum si fuerit sacris initiatus manere suspensum ab omni ordinum exercitio, obligari tamen ad recitationem officii. Et tertium teneri in conscientia sese corrigere, & convertere in bonam frugem, ut dignus fiat, qui ad misericordiam, & Ordinis consortium denuo suscipiatur.

6. Ipsi tamen Praelatis in Christi visceribus suademus, ut antequam gravissimum, & extremum expulsionis remedium experiantur, memores sint Paternae charitatis, & mansuetudinis, quam ex officio, & Christi imitatione profitentur, nihilque intentatum relinquunt, quo animas Fratrum sibi creditas lucrari, & a profundo malorum eripere omni studio, & dilectione contendant, ne si ob hanc negligentiam in vitiorum barathrum decident, & aliquando pereant ex illorum manu Dominus istorum sanguinem exigit.

7. Ut autem licibus caveamus, quas ex hujusmodi expulsionibus oriri forte contigerit, praesenti Constitutione sancimus, ut literis, sive expulsionis sententiae ista clausula inferatur, omnia nihilominus jura, actiones, & successiones, tam ex jure communi, quam ex privilegiis, seu statutis Ordinis, occasione suae professionis ipsi Ordini in genere aut alicui Provinciae, Congregationi, seu Conventui ipsius in specie qualitercumque pertinentia eisdem reservamus & in nullo penitus derogamus.

CAPUT XI.

De absolutione Apostata, vel cujuslibet excommunicati.

1. Cum absolvendus fuerit Apostata, vel alius quicumque excommunicatus ab hujus censuræ vinculo se humiliter, flexis genibus, Praelato submittat, vel ei, cui vicem delegaverit, habeatque nudum dorsum, & scapularium super caput, & faciem; Praelatus vero, aut absolvens teneat virgas, seu aliud flagelli genus in manu, quo illum verberare debet, & dum ipse cum conventu Psalmum *Miserere mei*, alternis versibus recitat, ad finem cujusque versus nudam scapulam verberet, in conclusione vero Psalmi dicatur, *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater Noster.*

℟. Et ne nos inducas in tentationem,

℞. Sed libera nos a malo.

℟. Salvum fac servum tuum Domine.

℞. Deus meus sperantem in te.

℟. Domine exaudi orationem meam.

℞. Et clamor meus ad te veniat.

℟. Dominus vobiscum.

℞. Et cum Spiritu tuo.

O R E M U S.

Praesta quaesumus Domine huic famulo tuo dignum poenitentiae fructum, & Ecclesiae tuae sanctae a cujus integritate deviauit, restituendo, ut peccatorum remissorum veniam consequendo reddatur innoxius.

Deus cui proprium est misereri semper, & parcere, suscipe deprecationem nostram, ut quem delictorum, & excommunicationis catena constringit miseratio tuae pietatis absolvat. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Post Orationes autem hujusmodi recipiat iuramentum a praedicto Fratre, quod erit obediens praecipis Ecclesiae, & Ordinis, ejusque Superioribus universis. Deinde dicat: *Confiteor Deo &c.* Absolvens autem adjiciat: *Miserere tui &c. Indulgentiam &c. Et ego auctoritate Dei Patris Omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & auctoritate qua fungor absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, quo teneris propter Apostasiam, vel violentam manuum iniectionem, vel propter contumaciam (semper exprimendo causam), & ab omnibus transgressionibus, excessibus, seu omissionibus regule, & Constitutionum nostrarum quantum ego possum, & quod non possum suppleat, & perficiat omnipotens Sacerdos, & Summus Pontifex Jesus Christus, & restituo te societati Fratrum nostrorum, & communioni, & unitati fidelium Christi, & dispenso tecum in omni irregularitate, quam incurristi. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Et postea injungat Praelatus poenitentiam, ut sibi visum fuerit. Quod si excommunicatio non sit ob delictum publicum omnia praedicta fiant omnino secreta.

CAPUT XII.

De Incarceratione Criminosi.

1. Cum poena carceris sit frequens in Constitutionibus nostris, & quanto ea sit severior, tanto majori studio Charitatis indigeat, propterea Fratribus declaramus eam non esse ita de se insipientiam, ut excludat miserationis, & lenitatis officium.

2. Ab hoc ergo in qualibet Provincia communibus expensis per ejus Provinciam a Conventibus erigendis constituantur carceres, cum omni genere vinculorum in quibus scelera Fratres detineantur vinciti, & compediti, aut tantum inclusi, juxta meritum criminis. Qualitas autem loci, plus ad securitatem, quam immanitatem accedat. Sit etiam sufficienti lumine conspicuus, & diuturno tempore incarcerationis recitare valeat Divinum Officium, & libros spirituales legere, quorum usu, & consuetudine sa-

lubriter,

lubriter, & fructuose tempus insumat; qua propter Prælatis injungimus, ut semper incarcerationi si horis canonicis fuerit adstrictus Breviarium apponi faciant, cum aliquibus de prædictis libris spiritualibus, aut sanctorum vitas continentibus, & illum moneant, ut in his legendis versetur, & Divini Officii pensum non desinat.

3. Ulterius ipsis præcipimus, ut semel ad minus in hebdomada illum adeant, & visitent, ac omni qua potuerint consolatione permulceant, mentem ejus erigant ad poenitentiam fructum, ac labores, ac poenas inflictas toleranter gratis, & fructuose ferendas: quod si per se exequi non valeant, Fratrem aliquem ex gravioribus adhibeant, qui sit potens charitate, consilio, & loco sui prædictas visitationes impleat.

4. In necessariis ad vitam sit etiam diligens Prælatus ut nihil deficiat, neque potus, aut cibi patiatur inopiam, neque in his, aut aliis nimis ærumnose tractetur, lectulus sit ei stratus, non majori cura, quam suæ congruit poenitentiae, vel crimini, sed ut miserationem decet, & exigit fraterna dilectio.

5. Præcipue vero eidem Prælato subjungimus, ut debito intentus charitatis officio statutis temporibus poenitentiae Sacramentum ab incarceratione suscipiendum curet. Quoad Missam vero audiendam diebus festis similiter ordinamus, ut ubi secure, & tuto id valeat impleri, aut decenter in ipso carcere fieri hunc illi fructum nulla ratione prohibeat.

CAPUT XIII.

De modificatione poenarum.

1. Quamvis equidem multa sint, quæ in Superioribus culpis, excessibus, seu criminibus, aut aliis etiam in hac nostra Constitutione dispersis observare canonicè jubet sublimis auctoritas Ordinis, quæque statuta districtius exequenda præcipiant; tamen quia defectus præsentium temporum, & languentem humanæ conditionis statum consideramus, quibus, non solum mentes, sed etiam corpora deficiunt, fragilitate humana & fomite prævalentibus, ea propter Salvatoris nostri exemplo inhærentes, qui semper misericorditer agit, & figmento nostro compatitur, præsentem Constitutionem ordinamus, ut ad poenas contra prædictas culpas, & crimina expressas, tam declarandas, & exequendas, quam modificandas, mitigandas, commutandas, & relaxandas potestatem habeat Magister in toto Ordine, Provincialis in sua Provincia, & Commendator in Commenda, quibus ex jure nostrarum Constitutionum conceditur hæc facultas ubicumque ab ipsis, vel a jure restricta non fuerit.

2. Hanc autem sic intelligimus, ut ubi poena minime relaxanda, vel sine spe relaxationis, aut aliis verbis similibus denunciatur, potestas Magistri, aut Diffinitoris Generalis, & Provincialis excludenda non veniat nisi prohibeatur expresse, cum tantum per illa inferiorum Prælatorum potestatem restringere censeamus. Ipsos tamen, quibus hæc inest dispensandi, vel relaxandi facultas monemus in Domino, ut numquam facile, & pro solo libito, sed rationabiliter, & iusta semper ex causa dispensent, aut modificent, & impleta prius majori parte poenitentiae ipsi delinquenti assignatae, signisque doloris, & manifestæ correctionis præcedentibus.

3. Quoniam autem, etsi culpas omnes æqualiter studeamus appendere, & eas poenis æqualibus vindicare, numquam tamen unius esse ponderis invenimus, nec etiam pares sint, poenam poenam exigunt ob discrimina personarum, quas iustitia distributiva respicere oportet; ideo Prælatorum discretionem subjungimus, ut si in prædictis quatuor generibus culparum, aliisve

specialibus criminibus reatus fiat gravior, aut levior ratione circumstantiæ, quæ malitiam ejus nimis augeat, vel minuat, hanc semper tamquam primam inter rationabiles causas præferant, ut vel poenam legis in suo rigore exequantur, vel augeant aliquando, aut etiam modificatione, vel relaxatione demulceant.

4. Si vero differentia sit in personis, tanto rationabilius poterit commutari poena, quanto reus insignior, & excellentior extiterit: non solum quia in istis levis poena eo redditur gravior, quo fuerit conditio nobilior, etiam ex hac parte major, & minor in ipsa poenæ diversitate coquantur, sed etiam quia Regularibus expedit, ut vel hæc ordinis fulcra non vilibus omnino poenis de honestate corrumpant, vel ut eorum flagitia non prodantur ex toto, sed quantum liceat abscondantur a parvulis, ne suo exemplo plus scandalo noceant, quam exactæ castigationis strepitu proficiant. Talibus ergo cum deliquerint poenam de honestate in alias eorum præcellentiæ consonas commutari consulimus.

DISTINCTIO SEXTA.

De exercitio, & professione literarum.

Supra montem Christum jam mole Religionis erecta literarum lucernam accendimus quam ex instituti debito amplecti compellimur, non solum, quia cum reliquis proximorum salutis, & instituendis populis mancipemur; verum etiam quod ob speciale professionis vinculum cum paganis, & gentilibus, fideique defertoribus, & in ea sæpe nutantibus frequentissime versamur, inter quos oportet Fratres nostros juxta Apostolum amplecti eum, qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut potentes sint exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt arguere, necnon, & illis rationem reddere cum de rebus fidei sæpe numero postulantur.

CAPUT I.

De studiis, eorumque professoribus in communi.

1. Ut ergo juxta præmissa nostri Ordinis Professionem impleamus, & nulla sit in eo domus, ubi aliqua pia literarum disciplina non vigeat, præsentem Constitutionem decernimus ut in singulis Provincialium Capitulis designentur a Diffinitorio omnia studiorum genera, quæ singulis domibus secundum earum possibilitatem expediant, itaut in magnis, & præcipuis constituantur Doctrinæ Scholasticæ, expositivæ, & Moralis Theologiæ, aut Philosophiæ, prout opportune conveniat; in paucis autem collationes ad minus, & conferentiæ Theologiæ Moralis, & Expositivæ inviolabiliter habeantur.

2. Præcipue vero in qualibet Provincia unam saltem domum præfixam esse statuimus, quæ sit, & gaudeat juribus Collegii pro studiis duntaxat S. Theologiæ, ubi sub uno Rectore, & studiorum Regente Lectores, & Fratres studentes expeditius quam alibi S. Disciplinæ dent operam, & uberiores capiant ex ea proventus.

3. In prædictis domibus, & Collegiis pro S. Theologia designatis constituantur duo Lectores matutini, & tertius vespertinus, cum uno Magistro studentium, quartus autem non addatur nisi forsan pro legendis artibus, ubi hæc studia liceat quoque constitui. Quibus superaddimus unum Fratrem Regentem, qui curam studiorum sustineat, eaque moderetur, quemadmodum stabilitur inferius.

4. In nulla domu studia prædicta, tam arrium, quam Theologiæ permittimus nisi suffi-

ciens auditorum numerus suppetat, quem in utroque ad minus senarium ex Fratribus Ordinibus postulamus.

5. Provinciali ad quem attinet prædictos Fratres ad artes, seu Theologiam addiscendas eligere, vel etiam Magister si id aliquando ex causa legitima sibi assumpserit nullo modo eos ad studia præfata deputet, nisi prius per testimonium ab examinadoribus Conventus exhibitum sibi manifeste de illorum sufficientia, & capacitate liqueat, quos enim in Grammatica non sufficienter informatos invenerit nullo modo ad artes audiendas mittat, nec similiter, quos in artibus non satis instructos deprehenderit, Auditores Theologiæ constituat, sed illos eo transferat, ubi sufficientes reddantur hujusmodi facultatibus a quibus eos omnino rejiciat, donec ad illas respectively probentur idonei.

6. Ut autem Disciplina in præfatis Auditoribus nulla distractione frigescat, Commendatoribus statuimus, ut nulli eorum in diebus lectionis licentiam a domo egrediendi concedant, etiam cum suis Lectoribus, nisi ad conclusiones publicas: nec similiter prædictis diebus ad communes recreationes eos procedere permittat, nec ipsis lectionem quacumque ratione prohibeant.

7. Insuper constituimus, ut nullus Frater mittatur ad Collegium pro audienda Theologia, nisi per unum annum in alia domo auditor illius extiterit. Cum autem eligendus sit, fiat semper prævio examine, & oppositione publica coram Prælo Superiori, exponendo scilicet per dimidiam horam quaestionem, vel materiam aliquam de artibus sibi ante 24. horas, & non amplius fortitam, & ulterius per dimidiam respondendo argumentis in illam objectis a suis oppositoribus, vel eorum defectu, ab his quos Prælati superior designaverit, qui illum si approbatus manserit poterit ad Collegium mittere.

8. Præfato denique Prælo constituimus, ut nulla ratione, vel causa Novitium aliquem ad studium artium, vel Theologiæ suscipiat, nisi jam unum annum in Novitiatu expleverit, ut superius dist. 4. cap. 3. sancivimus.

CAPUT II.

De studiorum Regente.

1. Cum studiorum pondus, & eorum recta ratio ab uno direttore, & eo quidem sollicito pendere debeat, & præcipua cura moderari, ut literarius ager sub eo cultore floreat, eapropter considerantes frequentissime Commendatores sui Conventus regimine nimis implicatos, ac distinctos, nec quantum expedit curis pariter studiorum intendere posse; præfati Constitutione statuimus, ut in singulis Collegiis, ac domibus ad disciplinas S. Theologiæ designatis, & non alibi unus Frater speciatim eligatur a Diffinitorio Capituli Provincialis cujusque Provinciæ, qui nomine Regentis in præmissis domibus, & Collegiis sit omnibus studiis, tam Theologiæ, quam artium præpositus, cujus officium uno solo triennio concludatur, a Capitulo scilicet in Capitulo, quod si extra Capitulo vacare contigerit ejus electio ad Provinciale ejusdem Provinciæ pertineat.

2. Et quoniam hujusmodi officium in debita auctoritate constituere intendimus ad ejus electionem virum semper præstanti ingenio ex graduatis exigimus, qui sit Magister, vel præsentatus in literis florens, & assiduus, ac de illarum fruge zelator, necnon, & ab aliis curis, & occupationibus expeditus: si autem inter prædictos non facile suppetat, eligatur de Lectoribus jubilatis, alioquin fiat Regens Collegii, aut domus studiorum antiquissimus in lectione Lector inter omnes ejusdem Collegii, vel domus.

3. Munus Regentis debet esse præcipue studiis sibi commissis invigilare, eaque omni sollicitudine promovere, itaut quacumque illis noceant, prudenter avertat, quæ vero profutura sint ad meliorem frugem pro viribus curare non desinat. Debet etiam præ oculis habere, quæ scripta sint in Constitutionibus nostris, & ea, quæ in dies emanaverint a Capitulis Generalibus, & a Provincialibus, a Magistro Generali, a Provinciali, a Visitatoribus ad rectam studiorum rationem, & dare operam, ut ea diligenter serventur.

4. Ad ejus insuper sollicitudinem accedit, quod Lectores quicumque suo muneri officiose intendant, quod lectionibus dictandis sint horis sibi competentibus assidui, quod conferentiis quotidianis, & Conclusionibus, tam mensalibus, quam hebdomadalibus quotiescumque in nostris domibus exercentur assideant, & ad alias extra Ordinem confluant, eisque debitam vicissitudinem reddant. Illos autem quos in his, aliisve negligentibus offenderit, poterit ad lectiones, conferentias, & conclusiones vocare, & simul admonere prudenter, ut munera sua in omnibus legitime compleant, quod si non acquieverint monitioni, rem Commendatori deferat, aut etiam Superioribus Prælati prout magis expedire judicaverit.

5. De cætero autem Regentibus facultatem impertimur, ut studentium omnium in literarum usu, & executione defectus corripere, & objurgare valeant, ac ipsis etiam poenitentias, vel abstinentias aliquas infligere, quas tamen si in Refectorio fieri oporteat Prælo notas faciat, cui sane consulimus, ut semper Regentis auctoritas faveat, quo magis ejus Magisterium auctoritate fulciat. Quod si venia danda sit delinquenti eam consulto Regente largiatur.

6. Cum habenda sint conclusiones publicæ, quæ typis mandari debeant nullus Lector id audeat exequi, nisi prius eas Regenti subiciat, ut recensent, approbet, & subscribat, in quibus si novitates a D. Thomæ doctrina, & sensu devias invenerit omnino prohibeat, & deleat, nec ratione aliqua sub pena privationis a munere defendi permittat.

7. Conferentiis, seu collationibus Theologiæ, vel artium singulis diebus non feriatis inviolabiliter assistat in ipsis, & Conclusionibus publicis argumenta distribuat, eaque si necesse fuerit resolvat, & ipso loquente omnes sileant. Ad lectionem in conferentiis dicendam Fratrem studentem eligat, servata tamen in his omnibus auctoritate Prælati, cui præfati semper æquum ducimus hæc munia cum omni comitate deferri, & eo solum annuente Regentem suscipere, & exequi.

8. Si Commendator in disciplina literarum promovenda fuerit negligens, & earum fructum quovis modo impediatur, id Regens protinus Provinciali, aut Visitatori aperiat, vel etiam deferat ad Provinciale Capitulo, ut damno adhibeant medelam.

9. Ulterius ad Regentem pertinet, ut determinatas horas Auditoribus, tam vere, quam hyeme juxta Provincialium consuetudinem ad studendum præfigat, & pro antelucanis unus sit ex illis excubitor, qui reliquos a somno excitet, & ipsis, omnibusque Lectoribus lumen accendat, prout fuerit in domibus consuetum. Ad hoc autem diligenter studeat, ut illis tribuatur oleum, & reliqua necessaria pro studio, ut atramentum, pennæ, papyrus, & alia similia, de quibus sic illis Prælati large provideat, ut nunquam studia ex præmissorum penuria tepefiant. Similiter curæ habeat Regens bonam aulae dispositionem, itaut fenestræ ad pluviam propulsandam sint bene munitæ, nec vento facile pateant.

10. Recreationes autem quando sint studentibus indulgenda fiant semper opportuno tempore, & de licentia Prælati, quam solus ab eo postulat Regens; quo circa declaramus, quod licet omnis res literaria, ejusque acta ordinare ad Regentem pertineat; ceterum in præcipuis, & iis quæ possunt concurrere cum aliis Conventualibus actis, aut eorum opportuna tempora invertere semper Prælatus consulendus est a Regente, ut inter ipsos res literariæ cum aliis Conventus oneribus temperentur, & ita pro singulis eligatur tempus, ut se invicem non impediant, aut importune fiant. In absentia Regentis, antiquior, primusque Lector munus ejus suscipiat, ubi vero lectura tantum artium sit, constituta curam & regimen studiorum Lectori subjungimus.

11. Regens denique si non fuerit Magister, ejus gratia fruatur quantum ad mensuram refectiois, & victus, eique necessarium oleum ad studium præbeat. Pro se autem præter unam Missam omnibus Sacerdotibus semel in hebdomada concessam alias duas celebrare poterit.

CAPUT III.

De Lectoribus creandis, & oppositione ad Lecturas.

1. Quia ex recta institutione Lectorum pendet maxime proventus, & utilitas literarum, præfenti Constitutione decernimus, ut nullus ad oppositionem lecturæ, tam artium, quam Theologiæ admittatur, nisi decursis in integrâ Philosophia tribus annis completis prout inferius declarabitur, ac quatuor integris pariter in Theologiæ disciplina peractis, & nisi Conclusiones utriusque facultatis publice defenderit secundum consuetudinem Provincialium a Capitulo Provinciali approbatam.

2. Oppositiones autem pro qualibet lectura obtinenda, ita inviolabiliter præmittimus ante institutionem Lectoris, ut tam in artibus, quam in Theologia non possit aliquis in Lectorem eligi, nisi facta oppositione in concursu generali, & publico a Provinciali, vel Magistro, seu ab ipsis potestatem habente convocato, & nisi duo graduati de numero ad minus presentes extiterint.

3. Modus vero oppositionis ita sit, ut quisque videlicet ex oppositoribus, ante 24. horas, & non amplius materiam lectionis eligat, & pro libito suscipiat ex tribus punctis, vel capitulis per sortem sibi ex Aristotele, vel Magistro sententiarum, juxta qualitatem lecturæ propositis, quo tempore elapso confestim in arenam descendat, & per unam horam publice coram Provinciali, aut etiam Magistro, vel eorum potestatem habente, & reliquo concursu punctum, materiam, vel caput sibi fortitum exponat, ut per aliam horam argumentis oppositorum satisfaciat.

4. Hoc itaque examine peracto Provincialis, vel Magister, vel quicumque alias oppositionem celebrans, convocatis omnibus graduatis de numero, ac etiam Lectoribus jubilatis, qui Conventui, Collegiove adfuerint, & ejus similiter Prælato, cum ipsis inerat consilium circa sufficientiam oppositorum, quibus auditis, per se decernat eos, qui in primo, aut secundo gradu manere debeant approbati ad lecturam, pro qua decertaverint; itaut ipse Provincialis, vel Magister, aut alius ab ipsis potestatem habens ad eas, quæ tunc, vel pro tempore vacaverint possit de ipsis, & non aliis eligere, quem maluerit, servata tamen qualitate, & gradu approbationis juxta gradum, & qualitatem lecturæ, vel loci. Secretarius vero approbatus, & reprobatus in Provincia libro conscribat, ut qui valeant Lectores eligi publice constet.

5. Si quis vero sine aliqua ex prædictis solemnitatibus creatus fuerit Lector, ex nunc declaramus lecturam ejus nullius esse roboris, &

valoris, & annos, quibus legerit ad gradus obtinendos non debere computari pro merito.

6. Declaramus adhuc prædictum examen, seu oppositionem debere in eadem materia fieri, ex cujus genere fuerit lectura providenda, itaut non sufficiat approbatio ad lecturam artium, ut quis censeatur approbatus ad lecturam Theologiæ, aut e converso.

CAPUT IV.

De Officio, & munere Lectoris.

1. Sic institutis Lectoribus a Provinciali, vel Magistro decernimus, & statuimus Lectores artium teneri per tres annos completos continuo legere, & interpretari omnes libros Aristotelis in hac lectura juxta consuetudinem comprehensos, ita scilicet, ut in omnibus tribus annis legat per ordinem Summulas, & Logicam cum Isagoge Porphyrii, & libros prædicamentorum, deinde libros Physicorum cum reliquis de Generatione, & Corruptione, de Anima, Mundo, Cælo, & Meteoris.

2. Cursum vero incipiant a die exaltationis S. Crucis, usque ad festum Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ, a quo die usque ad initium alterius curriculi intermissionem concedimus, ut auditores hoc tempore cum Lectoris auxilio præterea reminisci, & inter se conferre valeant. Quo circa conferentias his etiam feriis quotidie Lector cum illis exerceat. Formam legendi sic esse decernimus, ut in quolibet die lectivo, accepta prius a Discipulis lectione, præcedenti mane, & vespere legant per unam horam; & per dimidiam, quæ legerint, exponant. Hora autem consueta, & a Commendatore, & Regente præstituta conferentias, diebus singulis, sine dispensatione habeant, & conclusiones semel in hebdomada, cum totius Scholæ assistentia, minime prætereant. In quolibet vero curriculo unum ad minus ex auditoribus magis idoneum ad publicum actum accingant, & defendat, & ad publicos extra Ordinem etiam indeficienter conveniant.

3. Lectores autem Theologiæ & mane, & Vespere semper unam horam in legendo, & exponendo lectionem insumant conferentias quotidie habendis, & in aliqua ex eorum materiis alterne versandis omnes intersint, sabbatinas disputationes in singulis septimanis habeant, eisque indispensabili alternatione præsideant. In quolibet etiam curriculo publicum actum instruant, & defendant, nec ab extraneis umquam abesse, & in illis arguere prætermittant, quotiescumque ipsis servanda ratio vicissitudinis obringat. Cursum Theologiæ incipiant a prima die post festum S. Lucæ, & usque ad Dominicam SS. Trinitatis sine ulla intermissione legant: ita tamen ut materiam semper compleant.

4. In Doctrina, stylo, & electione materiæ semper debet Lector se conformare Discipulorum necessitati, & ingenio, ita ut eos magis utilibus, & intelligibilibus imbuat. A superfluis, & inanibus omnino abstineat. Sciat utique in antiquis esse sapientiam, ac proinde vocum novitatibus non adhæreat, nec opiniones a communi sensu devias sectetur, longos tractatus nunquam instituat, sed eos ita clare, & breviter absolvat, ut in singulis curriculum materiæ perfecte finire valeat.

5. Univerfis Lectoribus enixe præcipimus, ut juxta antiqua Ordinis Decreta sæpius in Capitulis Generalibus iterata semper in omnibus, & per omnia, Doctrinam Divi Thomæ secundum sensum & expositionem Thomistarum, ita doceant, ut si in aliquo ab ea recesserint, ipso facto Provincialis eos lectura destituat; maxime tamen studeant, ut circa mysterium Conceptionis Beatissimæ Virginis Mariæ semper illud in

eam partem, & sensum suscipiant, & exponant, unde nitorem ejus, & immunitatem ab omni labe didicimus, & profitemur.

6. Statuimus etiam, ut in qualibet domo totius Ordinis, vel etiam Collegio, ubi vigeat disciplina Theologiæ, duo Lectores matutini semper legant materias Theologiæ Scholasticæ: Tertius vero Theologiæ Moralis, scholastico tamen more tractatum vel materiam sub cursu reprobatione instruat.

7. Lectores tam artium, quam Theologiæ semper in aula, vel loco publico legant, quod si secus fecerint curricula eorum, & annos non approbamus ad meritum.

8. Ut autem omnis Lector dum actui lectionis incumbit inopia temporis non labore decernimus, ut toto lectionis tempore sit omnino liber ab assistentia Chori, præter quam diebus festis, & solemnitatibus a lectione feriatas ad Missam majorem, & Vesperas, & ad omnes Matutinas cantandas, ad Missam Beatæ Virginis in Sabbato, ad orationem mentalem Vespere, & mane, & denique ad Capitulum quotidianum, & non ultra. Pro se Missam unam celebrare potest præter assignatam a Constitutione. Oleum pro studio cuiusque Lectori a Conventu tribuatur. Locus eorum ad invicem in actibus, & functionibus literariis sit penes antiquitatem lectionis.

9. De cætero constituimus, ut juxta Decretum Capituli Opatensis a SS. D. N. Innocentio XI. confirmatum, qui decursis omnibus lectionis curriculum, jam pro Magisterio meritum adimpleverint, gaudeant titulo Lectoris Jubilati, & omnibus immunitatibus, quas Præsentatis de numero, & justitia concedimus, excepto suffragio in Capitulo Provinciali, sitque locus eorum novissimus inter illos tam de lectione, quam pulpito, ita ut præcedant omnes Præsentatos de gratia, servatis tamen apud ipsos Jubilatos ordine, & antiquitate lectionis.

10. Lectores qui ad Provinciam Italiæ mittantur a Magistro, cum facultate legendi, aut designati fuerint in aliqua illius Provincie lectione omnino declaramus habiles, ut rite probatis eorum annis, & lectionis curriculum in præfata Italiæ Provincia præfatis gradus obtinere valeant in propriis.

CAPUT V.

De Magistro Studentium.

1. Ubertatem literarii fructus desiderantes, ne in defectu culturæ languescant, hac de causa decernimus, ut in qualibet domo, vel Collegio ad disciplinam Theologiæ designatis præter tres Lectores prædictos, alius constituatur, qui sit Magister Studentium, ad quod munus nullatenus assumatur, nisi jam per triennium lectionem artium laudabiliter impleverit, ut alterius in oppositionibus generalibus pro lectione Theologiæ per unam horam lectionis, alteramque argumentorum legitime decertaverit, simulque approbatus fuerit, & ut talis in Provincia libro susceptus.

2. Hujus autem sit munus indispensabile omnibus Theologiæ conferentis assistere, & alternatim cum singulis Theologiæ Lectoribus eorum materiis & opinionibus præsidere, quorum sensui, & judicio in illis defendendis acquiescere, & consentire debeat. In conclusionibus vero Sabbati, & extra Ordinem, eandem vicem præsidendi, & arguendi cum prædictis Lectoribus fortiatum. Horis studio designatis diligenter visitet Auditores, & si quos negligentes invenerit, Regente non adstante, puniat, aut puniri faciat.

3. Præterea omnibus diebus feriatis intra curriculum dubium, vel quæstionem literalem Sacre Scripturæ, eodem more, & forma qua solet casus conscientie proponat, ad quam omnes de Schola confluant, & pro libito Magistri studen-

tium respondeat objectis unus de studentibus ab eo designatus, cui præsideat ipse, & tandem resolvat dubium.

4. Qui sic ergo in hoc munere fuerit plausibiliter operosus omnes annos pro gradibus promerendis comparet, tam si revera eos legendo peregerit, modo procedat informatio legitima de illis prout de reliquis Lectoribus fieri constituimus. Præter hoc autem jus habeat ad primam lectionem, quæ proxime vacaverit in Conventu, aut Collegio, ubi munus istud obierit, eisdemque gratis, & exemptionibus gaudeat, quibus cæteri Lectores actuales Theologiæ.

5. Et licet pro studiis artium Magister studentium semper fuerit hæcenus solitus institui, de cætero præcipimus, ut tantum designetur in domibus artium studio destinatis absque ulla profus a Choro, & Altari exemptione.

CAPUT VI.

De Magistris, & Præsentatis.

1. In qualibet Provincia non plures, quam duodecim Magistros Theologiæ suscipimus, neque amplius, quam 24. Præsentatos de lectione. His autem gradibus quos de numero dicimus neminem insigniri liceat, nisi qui exacte, & legitime omnia illorum merita, & requisita compleverit, prout in his Constitutionibus ordinantur.

2. Quo circa præfatis Constitutionibus enixe observari præcipimus Decretum Capituli Generalis Opatensis a SS. D. N. Innocentio XI. confirmatum: quod nullus ad gradum Præsentaturæ de lectione promoveri valeat, nisi decursis integreque præfatis 8. annis lectionis actualis inclusi pariter quos forsitan egerit in Magisterio studentium, ita ut jam per triennium unam ad minus artium lectionem compleverit; reliquis autem Theologiam sacram ad octavum usque docuerit, aut Magister studentium extiterit. Similiter etiam quod nullus ad Magisterium assumatur nisi ultra prædictos octo annos, alios septem in S. Theologiæ lectione consumpserit.

3. Lectorem autem illum qui de licentia Ordinis, in universitate approbata oppositionem fecerit, & in ea Cathedram obtinuerit, ubique prædictos annos is tam in artium lectione, quam Theologiæ ex toto, vel parte peregerit, nulla ratione excludimus, imo gratius admittimus, & approbamus idoneum ad gradus Præsentaturæ, & Magisterii obtinendos, perinde ac si prædictos annos intra Ordinem complevisset.

4. Pari modo constituimus præmissos annos, debere esse completos, singulisque materiis, & curriculum respondentibus. Itaque unus annus non possit complecti duos cursus, tam Theologiæ, quam artium. Quod si aliter eveniat, eos nequam ad surreptionem graduum pro merito computamus.

5. Ut ergo omnium annorum lectionis cuiuslibet legitima ratio habeatur, eorum probationes, & informationes immediate fieri constituimus in actu visitationis ab ipsis Provincialibus, vel Visitatoribus, ita scilicet, ut primo fiant privatim in scrutinio secreto, & deinde publice per testimonia sanioris partis Conventus. Quod si ad istas authentice consiciendas Provinciali, aut Visitatori tempus in visitatione deficiat, ille tantum, & non Visitator relinquat, aut mittat commissionem Religioso sibi probato, & idoneo, qui eas ut prædicatur perficiat.

6. Illæ vero ita legitime factæ debent præsentari Diffinitorio Capituli Provincialis, & ibidem examinari, & pariter cum secreta informatione conferri, quam Provincialis, aut Visitator in visitatione susceperit, ut ex ista, & illis fiat a Diffinitorio judicium, cujus est private informationes intra Capitulum, easque probare, & repellere.

7. Ipsas insuper fieri decernimus de triennio

in triennium in singulisque Capitulis præsentari, quod si hæc præsentatio ultra unum Capitulum protrahatur maneat irrita, annique lecturæ non computentur ad provisionem graduum. Statuimus præterea, non quamlibet informationem hujusmodi approbationem a Diffinitorio Capituli factam sufficere, ut quis maneat expositus, aut jure promotus ad gradum aliquem obtinendum. Illam ergo tantum esse volumus declarationem ad expositionem gradus sine dispensatione requisitam.

8. Unde cum ex Decreto Pauli V. hujusmodi expositio, seu præsentatio semper fieri debeat in vacatione determinata per Diffinitorium Provinciale intra Capitulum Provinciale congregatum, ad quod privative atinet, & ex hoc necessario sequatur gradus extra Capitulum vacantes, usque ad aliud proxime futurum manere suspensos; idcirco ne pro his dilationibus quidquam incommodi Provincia sustineatur, consulto, & deliberate statuimus, ut prædicto Diffinitorio liceat intra Capitulum hanc facultatem exponendi, seu præsentandi ad gradus, quemcumque ex approbatis a se ipso Magistro Generali cedere, ut ex ipsis extra Capitulum Provinciale exponat quem maluerit.

9. Ex eodem Pauli V. Decreto ad Magistrum Generalem loco, & vice Capituli Generalis, quolibet supra dicto modo expositos ad gradus promovere, eosdemque in ipsis confirmare privative pertineat. Qua etiam facultate gaudere volumus Priorem Barchinonæ, aut alium, qui tempore vacationis Magistratus in Vicarium Generalem totius Ordinis successerit.

10. Ordinamus ulterius, ut prædicta requisita ex parte promovendi ad gradus Præsentaturæ, vel Magisterii minime suppleri valeant per alia merita, & exercitia, vel obsequia Religioni præstita, cujusvis ea qualitatibus extiterint, quod si quis in posterum præfatis absque requisitis, & conditionibus, tales gradus susceperit, eos irritos, nulliusque roboris declaramus.

11. Nec gradum ejus, qui etiam per longum tempus a Provincia discesserit (nisi forsitan maneat adoptatus in alia) mox quasi vacantem cuiquam providere, vel eum quovis modo in numerum subrogare. Si quis tamen gradum ita susceperit, nullitati, & privationi vocis activæ, & passivæ illum de facto subijcimus.

12. Præter dicta vero duodecim Magisteria de numero, & lectura & viginti quatuor Præsentaturas, etiam de numero, & Cathedra, alias etiam sex Præsentaturas pro Prædicatoribus admittimus, quas dicimus de Pulpito, de quibus inferius capite de Prædicatoribus est dicendum, extra præfatos etiam gradus, quos Fratribus ex eo, quo, & pro suo munere laborantibus imperimur. Si quis gradum aliquem per Breve Sedis Apostolicæ obtinere voluerit, nunquam id intendat, nisi de licentia Magistri, nec ea obtenta gradum assequi valeat, quin prius ejus narratio in Diffinitorio Provinciali examinetur, & ibidem de subreptione, & obreptione fuerit ab omnibus absoluta, omnique vitio pura judicetur.

13. Deinde vero ut quis ad collationem, & confirmationem prædictorum graduum, de gratia perveniat firmiter constituimus, ut juxta prædictam Bullam Innocentii XI. sæpius relatum necessario, & invariabiliter sufficientiæ illius rigorosum, & prævium fiat examen, exponendo scilicet per unam horam punctum aliquod, seu questionem Theologiæ Scholasticæ, Moralis seu Expositivæ ante horas 24. a se pro libito electam, ex tribus sibi sorte propositis, ex Magistro sententiarum, aut ex Sacris Bibliis, & per aliam horam expositis argumentis satisfaciatur. Quæ omnia fieri debent solemniter in concursu publico coram Provinciali, qui deinde cum duobus saltem Magistris de numero, & totidem Præsentatis de numero, & Cathedra ad approbationem promovendi per secreta suffragia procedat, & juxta eorum

magis partem admittatur, vel reprobetur.

14. Eos tamen ab hoc examine excipimus qui jam alias ex merito lecturæ fuerint approbati a Capitulo Provinciali ad prædictos gradus, vel saltem jam præfatum examen subierint in publicis oppositionibus ad lecturam Theologiæ, & ad illam pariter manserint approbati.

15. Omnes Magistri, & Præsentati, quos de numero, seu lectura prædiximus vocem habeant in omnibus actibus, & electionibus Capituli Provincialis, præterquam in ejus diffinitorio, nisi alioquin ibi ea gaudeant ex munere. Magistris tribuatur focus, qui ad commune Conventus servitium non deputetur, & per eundem e domo egredi volentes licentiam a Commendatore petant. Ultra communem, duas pro se missas in hebdomada celebrare poterunt super communis refectio- nis mensuram, ejus medietatem illis ubique superaddimus, ipsos item ab omni officio altaris absolvimus, nisi in festis, & solemnitatibus præcipuis, neque in tabula hebdomadæ ad aliquod munus designati possint.

16. Quantum vero ad residentiam in Choro iisdem Magistris denunciamus eos vi gradus specialiter esse ad studium S. Theologiæ Scholasticæ, Moralis, Mysticæ, vel Expositivæ destinatos, juxta quas tum scribendo, tum concionando, tum confessiones audiendo, debent populos instituire, ad quorum profectum sunt vere facti, & appellati Magistri; quapropter dum hujusmodi laboribus specialiter, actu, & assidue pro suo munere intenderint, eos quantum ad Chororum eisdem lectorum actualium gaudere immunitatibus declaramus. Præsentati vero ultra communem missam alteram pro se celebrare valeant in hebdomada, & eos pariter ab officio Altaris absolvimus. In reliquis autem fervetur omnibus graduatis tam de lectura, quam Pulpito rationabilis consuetudo Provincialium a Capitulis Generalibus approbata, & præter illam & præfata nulla ipsis alia privilegia permittimus.

17. Super quibus insuper declaramus Magistros, & præsentatos de gratia, modo dicto creandos in his quoque respective privilegiis, & immunitatibus contineri, ita tamen, ut quantum ad locum, Præsentati de gratia sint posteriores Præsentatis omnibus de lectura, & Pulpito, quos dicimus de justitia. Circa Magistros autem pariter ex gratia institutos observari præcipimus Decretum Capituli Generalis Optensis a SS. Innocentio XI. confirmatum videlicet in hac forma: Quod nullus ad feriem Magistorum de numero ascendant, quin imo nec Præsentatis de lectura locum auferat, sed illis sint ubique posteriores, & immediate sedent ante Præsentatos de Pulpito; excipimus tamen illos, qui ex præsentatura de Cathedra, & numero sint ad Magisterium assumpti, quos ad Ordinem etiam Magistorum de lectura referri decernimus, ita ut locum post eos omnes immediate semper obtineant.

CAPUT VII.

De forma graduandi Magistros, & Præsentatos.

1. Cum ex concessione SS. Alex. VII. Magister Ordinis per se vel alium a se subrogatum facultatem habeat promovendi suos Fratres ad gradus Doctoris, & Baccalaurei, sicut in qualibet Universitate approbata, ideo constituimus, ut ipse pro confirmatione, seu collatione Magisterii, designet aliquem (si per se non conferat) ex Magistris jam confirmatis, & graduatis in promotorem ad talem gradum sub forma constitutionis istius conferendum, a quo promovendus in Magistrum gradum Doctoris Theologiæ solemniter recipiat intra quatuor menses a receptione confirmationis illius, secus enim maneat Magisterio privatus. Præsentatus autem sive a Ma-

gistro, sive a Provinciali ad id jam pridem per se facultatem habentibus a Constitutione nostra ad gradum Baccalaurei eadem solemnitate promoveatur. Ante promotionem vero suffragium non habeat in Capitulo Provinciali. Quam Constitutionem etiam ad Præsentatos de Pulpito extendimus nec non ad Magistros, & Præsentatos de gratia. Forma autem graduandi Magistrum est hujusmodi.

2. Forma graduandi Magistrum. Promotor habeat anulum, & pileum nigrum paratum, ac sedens expectet promovendum, qui flexis ad pedes Promotoris genibus interrogatur ab eo, quid petis, & respondeat humiliter. Peto promoveri ad gradum Doctoratus, & Magisterii S. Theologiae. Promotor. Promittis tenere, servare, docere, & defendere Doctrinam sanam, & Catholicam juxta determinationem Sanctæ Matris Ecclesiæ Romanæ. Promovendus. Promitto, & spondeo in hac forma.

3. Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo S. Romana Ecclesia utitur, videlicet Credo in unum Deum, Patrem Omnipotentem, factorem Cæli, & Terræ visibilium omnium, & invisibilium, & in unum Dominum Jesum Christum filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum non factum consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cælis, & Incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato passus, & sepultus est, & resurrexit tertia die secundum Scripturas, & ascendit in Cælum, sedet ad dexteram Patris, & iterum venturus est cum gloria judicare vivos, & mortuos, cujus Regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre filioque procedit. Qui cum Patre, & filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et unam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi. Amen. Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, & constitutiones firmissime admitto, & amplector. Item Sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione Sacram Scripturam admitto, nec eam unquam nisi juxta unanimum consensum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque septem esse vere, & proprie Sacramenta novæ Legis a Jesu Christo Domino Nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria: scilicet Baptisma, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium; illa quoque gratiam conferre, & ex his Baptisma, Confirmationem, & Ordinem, sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ Ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemnè administratione recipio, & admitto, Omnia, & singula, quæ de peccato Originali, & justificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo diffinita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in missa offerri Deo verum, & proprium, & propitiatorium sacrificium pro vivis, & Defunctis, atque Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse vere, realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem una cum anima, & Divinitate Domini Nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, quam conversionem Ecclesia

Catholica *Transsubstantiationem* appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque sacramentum summi constanter teneo. Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis curari. Similiter, & Sanctos una cum Christo regnantes venerandos, atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas firmiter assero. Imagines Christi, & Deiparæ semper virginis, necnon aliorum sanctorum, habendas, & retinendas esse atque eis debitum honorem, atque venerationem impertientiam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano Populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem, & Magistram agnosco, Romanoque Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac juro. Cætera item omnia a sacris Canonibus, & Œcumenicis Conciliis, ac præcipue a Sacros. Synodo Tridentina tradita, diffinita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor, simulque contraria omnia atque hæreses quasquam ab Ecclesia damnatas, rejectas, & anathematizatas ego pariter damno, rejicio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsentis sponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inviolatam usque ad extremum vitæ spiritum constantissime Deo adjuvante retinere, & confiteri, atque a meis subditis, seu illis quorum cura ad me in munere meo spectabit teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. spondeo, voveo, & juro, sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Item juro quod quatenus per Sanctam Sedem Apostolicam licebit tenebo, tuebor, defendam, prædicabo, atque docebo Animam Beatissimæ Virginis Mariæ in primo instanti suæ creationis, & infusionis in corpus, præveniente Spiritus Sancti gratia, intuitu meritorum Jesu Christi Redemptoris, a peccato Originali reservatam, & immunem fuisse, & in hoc sensu festum Conceptionis ejus ab Ecclesia celebrari.

Promotor dicat.

Quoniam sapientiam vocasti amicam, & amator factus formæ illius quæstisti eam tibi sponsam assumere, ecce Deus dat tibi eam sponsam, ut semper tecum sit, & cor tuum possideat. In signum ergo accipe anulum in manu tua. Accipe inquam anulum in signum fœderis, & ingenuitatis verum. Et ego auctoritate Apostolica per literas nostri Reverendissimi Patris Generalis mihi commissas, instituo, creo, facio te Doctorem, & Magistrum in S. Theologia, doque tibi potestatem, & facultatem publice legendi, docendi, & interpretandi, exponendi, & declarandi Sacram Theologiam: In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

Deinde surgat, & faciat promovendum sedere in sua sella dicens: Promoveo te ad gradum Magisterii S. Theologiæ annumerans te confortio Doctorum, & Magistrorum dictæ facultatis: ita collocet, & sedere te faciat Dominus cum Principibus, ut solium Gloriæ teneas.

Deinde imponit Pileum, seu Biretum capiti ejus dicens. Accipe Pileum, seu Biretum nigrum cum flosculo candido in signum Magisterii, sic ornet te Deus corona Gloriæ. Deinde elevet, & dans ei osculum dicat: Ecce odor filii mei, sicut odor agrî pleni, cresecere te faciat Dominus in millibus, & benedicat tibi in sæcula sæculorum. Amen.

Forma graduandi Baccalaureum.

Promovendus flexis genibus ante Magistrum Generalem, vel Provinciale suum faciat Professionem Fidei, ut supra, qua finita dicat Promotor:

Ego

Ego Auctoritate Apostolica mihi commissa promoveo te ad gradum Baccalarei S. Theologiæ tanquam benemeritum, & valde condignum.

CAPUT VIII.

De Prædicatoribus.

1. Ut autem munus prædicationis in Religione fulgeat, & simul Fratres habiles instituantur ad hujusmodi exercitium. Idcirco decernimus, ut nemo ad illud assumatur, nisi per duos saltem annos Sacram Theologiam audierit, ac Diaconatus Ordine initiatus existat. Cum vero eligendus sit a Provinciali (ad quem atinet) semper id fiat præmissis rigoroso examine coram ipso, & examinatorebus Conventus, cui Provincialis adfuerit, & in sensibus Sacræ Scripturæ, Fideique Mysteriis exacte probetur instructus. Sine hoc vero examine nullus audeat munus prædicationis exercere, neque sine licentiis Superiorum, juxta Concilii Tridentini decretum.

2. In quolibet conventu duos Prædicatores Conventuales admittimus, & non amplius, qui huic labori, cum merito, & jure ad præmium infra designatum incumbant. Quod si plures instituantur nominationes posteriorum inanes omnino reddimus, quantum ad jura merendi. Illis ergo præcipua sit cura prædicare per loca ditiosis suæ ad poscendas, & colligendas Eleemosynas pro captivis, cum literis tamen parentibus suorum Provincialium. In quo labore per duodecim annos exerceri debeant, itaut illis non reputetur ad gradum, nec suppleri valeant aliis meritis, nisi vere, & integre hujuscemodi officium perquam diligenter expleverint modo, & forma, hic, & superius *Dist. 2. Cap. 2.* præscriptis. Præter hoc insuper eos teneri volumus, ut conciones Conventus, juxta ordinem, & dispositionem Commendatoris habeant, & conscientiam casum alterne proponant, & resolvant quotidie ab initio Adventus Ordinis usque ad Dominicam Trinitatis.

3. Qui vero actu in hoc prædicationis munere laboraverint gaudeant exemptionibus ab officio Chori, & Altaris a Matutinis media nocte dicendis, & Prima: insuper missam unam pro se celebrare possunt ultra concessam a Constitutione. Et tandem completis duodecim annis prædicationis immunes etiam ab officio Hebdomadæ declaramus, non tamen a residentia Chori, quam eos de cætero integre sectari præcipimus.

4. Cum pro his, qui præfatæ prædicationis officium compleverint sex Præsentaturas jam pridem Ordo instituerit, in qualibet Provincia eas neminem posse obtinere decernimus, nisi peractis, ut jam præmissum est duodecim annis in prædicationis exercitio, præviaque informatione de illis ab ipso Provinciali, seu Vifratore facta, sub eisdem forma, & tempore annorumque nullitate in Capitulo præsentanda, quæ superius de lectorum informationibus decernuntur. Diffinitorium vero Capituli jus habeat privatum eas approbandi, ac etiam exponendi Prædicatores ad prædictos gradus, & hanc quoque facultatem cedendi Magistro, sicut in gradibus de lectura sancivimus.

5. Ipsi vero Prædicatoribus jam graduatis, easdem immunitates, indulta, & privilegia concedimus, quibus gaudent omnes Præsentati de lectura, vocemque similiter activam, vel passivam in Capitulo Provinciali, & in electione Diffinitorium Provincialium, & Diffinitorium, Electorum Generalium, & cæteris actibus Capituli præterquam in ejus Diffinitorio, nisi ad illud aliunde pertineat.

CAPUT IX.

De Confessionibus, & Confessariis.

1. Per professionem literarum eo maxime ducimur, ut discamus scientiam Sanctorum, mysticamque Theologiam, qua in poenitentia foro ductores animarum efficiuntur, & lepram a lepra discernimus. Unde eam in confessariis nostris sufficientiam desiderantes, quæ decet Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei, firmiter stabilimus, ut nullus Frater in Ordine nostro confessiones audiat sæcularium, neque fratrem alterius Ordinis, nisi prius a Magistro vel Provinciali fuerit approbatus, quibus enixe constituimus, ut ad munus hujusmodi eos tantum fratres eligant, qui literis, vita, & sanctitate fuerint commendabiles, præter has autem licentias ab Ordine, nullus Frater confessiones sæcularium audire præsumat, nisi illam etiam obtineat a Diecepsano, vel ejus Vicario, vel ab alio cui hujusmodi confessiones audiendi jure possit facultatem, vel curam animarum injungere. Caveant autem dicti confessarii, ne aliquid a poenitentibus exigant, imo neque suscipiant, illud Evangelii adimplentes: gratis accepistis, gratis date.

2. Quilibet Commendator in sua commenda idoneos Fratres assignet, & satis sibi probatos, qui aliorum Fratrum confessiones audiant, omnes tamen conventuales teneantur suis Commendatoribus ad minus semel in anno confiteri, & ab ipso communionem suscipere in missa solemniter feriatæ quintæ majoris hebdomadæ.

3. Fratres autem, sive conventuales, sive hospites in Conventu commorantes, nullis aliis confessariis confiteantur, nisi tantum illis, quos pro conventu Prælatus designaverit. Extra conventum vero, & ubicumque nostrorum confessariorum copiam non habuerint, confiteri poterunt extraneis confessariis a suis respective Superioribus approbatis.

CAPUT X.

De totius Ordinis, Provinciarumque Historiographis.

1. Agnoscentes utilitatem historiæ, quæ antiquorum Patrum exemplis præsentium sæpe mores effractos instituant, propterea ordinamus ut in Capitulo Generali, quoties opus fuerit eligatur, vel confirmetur unus historiographus, pro toto Ordine, qui omnes res ejus, & gesta, vitalque, præcipue Venerabilium Patrum, præcellentiumque virorum memoriæ tradat, atque inceptam semper historiam novis voluminibus, & tractatibus adaugeat, similiter, & in qualibet Provincia, alius etiam in ejus Capitulis Provincialibus nominetur, qui totius provinciæ res fideliter referat, & digerat, unde, & generalis historiographus totius Ordinis historiam concennare valeat.

2. Volumus autem, ut qui nominati fuerint ad officium hujusmodi sint ad illud genio, naturæque facilitate proclives, sacris etiam, & humanis literis præstantes: ante collationem muneris æquum erit, ut a Provinciali, aliisque viris rerum experimentum fiat, ut cum discretione eligatur, qui proposito, & intentione utilior videatur, & commodior.

3. Dum ergo Generalis Chronographus hoc in opere laboraverit, Fratrem amanuensem semper apud se habeat, ab omni Conventus onere liberum, Oleum etiam, papyrum, & cætera suo muneri necessaria ei a Prælato tribuantur, si non fuerit Magister, gaudeat, quo ad victum, mensura, & portione Magistri, si autem Magister existat eadem victus ratio designetur ei, quam Patribus Provinciæ præfiximus.

4. Expenfæ vero, quibus pro scriptis Prælato mandandis indigeat, illi inviolabiliter con-

ceduntur

ceduntur ab Ordine: juxta Magistri Generalis dispositionem, cui enixe suademus, ut totis viribus omnia, quæ super hoc fuerint elaborata, semper juris comiti contendat. Duas insuper missas, præter indulgentiam a Constitutione Generali Chronographo perpetuo concedimus in singulis septimanis.

5. Historiographus autem Provinciae, si propriam, & specialem historiam Provinciae ordinare, & accedere constituat, id fiat expensis Provinciae, nisi eas aliunde ipse, vel Prælatus provideant, quod si non faciat mittat singulis annis ad Magistrum Ordinis universa, quæ digna relatu invenerit, & elaboraverit, ut generalibus chronicis inferantur.

6. Immunitates, quibus gaudere debet sint una Missa præter communem in singulis septimanis, oleum, papyrus, reliquaque, ad scribendum necessaria, & tandem partes Magistri quoad victum.

CAPUT XI.

De Bibliothecario.

1. Cum Bibliotheca sit communis disciplina fratrum, & officina literarum, unde quis præter inopiam de omnibus edoceri valeat, eam quantum fieri possit omnibus facultatem præcipimus esse instructam, maxime vero in domibus studiorum. Pro custodia autem, & cultura illius fratrem unum pervigilem, & libris omnino deditum constituat Prælatus, cui omnino Bibliotheca, & librorum numerus tradatur, de quibus cum postulatus fuerit, rationem reddere debeat. Ad hoc vero fiat duplex inventarium, quorum alterum in Conventu depositum includatur, alterum vero apud ipsum maneat Bibliothecarium, itaut in fine utriusque, & quotiescumque librorum mutatio fiat in qualitate, vel numero subscribat semper Prælatus cum depositariis, & Bibliothecario.

2. Huic ergo Fratri subjungimus, ut librorum species, sic discretis componat ordinibus, ut secundum diversitates facultatum sint ad invicem separati, qui pertineant ad unam scientiam, & facultatem simul in uno, vel pluribus plateis per suas cellas, & ordines componat titulo facultatis desuper addito, & signatis voluminibus propriis numeris, ut per eos facile inveniantur in tabula.

3. Præterea studere debet, ut pro nitore, & munditia librorum fenestra contra pluviam, & ventum præcludantur, ut locus everratur frequenter, & e voluminibus pulvis, & tineæ sæpe numero excutiantur, clavibus Bibliothecæ servetur semper apud ipsum, sitque perpetuo paratus ad illam aperiendam studere volentibus, & ibi interrim assistendum per se, vel fidelem Socium sibi creditum, & a Prælo designatum, nec quicumque alius specialem clavem obtineat præter Bibliothecarium.

4. Ipse ulterius in id maxime incumbat, ut non solum libri non pereant, sed potius ut in dies accrescant, omnium illorum ita debet esse conscius, & præcipuos saltem in aliqua facultate semper comparari curet, quod quidem commutatis, aut venditis libris duplicatis fieri poterit. Cæterum cum id agi oporteat nunquam exequatur pro libito nisi cum assensu Commendatoris, & Provincialis in scriptis.

5. Sed ut omnis nostri Ordinis Bibliotheca fideliter conservetur, librique ulla negligentia decrescere, vel disperdi nequeant; præcipimus, in virtute Spiritus Sancti & Sanctæ Obedientiæ, sub poena excommunicationis majoris ipso facto incurrenda, ut nullus Frater cujuslibet qualitatis, aut conditionis extiterit possit, nec audeat librum, aut libros, quoscumque, vel quolibet excogitabili prætextu, seu causa ex Bibliotheca ex-

trahere, nec ad hoc valeant Prælati facultatem concedere sub eisdem poena, & præcepto.

6. Qui vero Frater libros sibi ad usum concessos communi Bibliothecæ tradere voluerit, poterit libere, ex ipsis dumtaxat aliquem, seu quos velit pro suo studio deducere. In Conventibus autem exiguis, ubi pauci fuerint libri, eos Prælatus in sua Cella custodiat, de quibus poterit tradere quos Frater aliquis ad studendum postulet; relicta tamen memoria in Chirographo, ut eos debito tempore reddat.

7. Ut denique Bibliothecarius præmissa omnia diligentius expleat, illumque sui muneris nunquam tædeat, ordinamus, ut omni tempore, quo illud obierit, si non fuerit Præsens gaudet omnibus gratiis, immunitatibus, & exemptionibus Præsenti, præter vocem, & locum. Si vero Præsens existat, omnia pariter privilegia illi concedimus, quibus Magistri fruuntur excepto loco dumtaxat.

DISTINCTIO SEPTIMA.

De electionibus ad officia, & Potestatibus Electorum.

Ordinis vineam essentialibus jam disciplinis institutam, Fratribusque quasi vitibus plantatis penarum vallo munitam, & literarum torculari instructam nunc tradimus Religiosis agricolis, quos in Prælatos assumimus, ut apti adhibita regiminis cultura fructum ejus Domino referant tempore opportuno.

CAPUT I.

De Capitulo Generali, ejusque tempore, & convocacione.

1. Magistri Generalis officium in Ordine nostro non amplius, quam sex annorum spatio concluditur, itaut illud nunquam perpetuari liceat, sicut decreto Gregorii XIII. & Motu proprio Sixti V. præcipitur, neque rursus, qui vicem suæ alternationis inferius declaranda per sexennium expleverit, eadem iterum vergente non possit denuo in Magistrum Generalem assumi, sed expectari debet sequens ipius Magistratus vicissitudo.

2. Sex autem annos prædictos mobiles, & Ecclesiasticos intelligimus videlicet a Sabbato in Sabbatum ante Dominicam Pentecostes, vel a Sabbato in Sabbatum ante tertiam Dominicam Octobris, quæ non eodem mense, vel die contingunt, unde si Capitulum Generale præcedens celebratum fuerit Sabbato ante Dominicam Pentecostes, hoc eodem Sabbato sex post annis subsequens Capitulum habendum sit absque dubio. Si vero ob vacationem Magistratus ante sexennium expletum (ut infra constituitur) præcedens Capitulum celebratum sit Sabbato ante Dominicam tertiam Octobris sequens in ipsum recidat post sexennium. Quod si ob eandem causam Capitulum habeatur Sabbato ante Pentecostem Capitulum immediate succedens pariter post sex annos finiatur in ipso.

3. Et quamvis aliquando (ut inferius etiam ordinatur) ad Sabbatum ante Dominicam Trinitatis, vel quartam Octobris transferatur, non propterea futurum proxime Capitulum (extra casum quo hæc translatio octava dierum statuitur) a prædictis Sabbatis ante Dominicam Pentecostes, aut tertiam Octobris amoveatur, sed in ipsam redire præcipimus.

4. Ad hoc autem Capitulum Generale (exceptis casibus vacationis Magistratus inferius assignandis, omnes ejus vocales præsentis Constitutionis jure convocamus, itaut vi illius omnes censeantur convocati ad unum ex prædictis Sabbatis, eo præcise quod expleatur sexennium, atque adeo teneantur accedere ad domum pro eo celebrando in proxime Superiori Capitulo

designatam,

designatam, nihilominus Magister Generalis poterit suas literas convocatorias ad eos opportuno tempore mittere juxta consuetudinem Religionis. Quod quidem præstare tenebitur Vicarius Generalis Ordinis, qui in ejus locum Magistratu qualibet ratione vacante successerit in suis semper literis causam vacationis declarando. Cæterum si Magister juste sit impeditus, & nequeat ad celebrationem Capituli Generalis accedere, Præsidentemque in illo nominaverit (quod dicimus in eo casu Vicarium Magistrum) nullam is habeat potestatem convocandi, sed per se difaciat Magister Generalis tempore superius declarato.

5. Quocumque autem five Magistro, five Vicario Generali Ordinis convocante, five etiam jure tantum Constitutionis, convocazione facta, & supposita, ut præmissum est, omnes vocales ad præfatum generale Capitulum venire tenentur loco, & die, qui præstituti fuerint, inspectis. Si qui vero noluerint, aut fuerint impediti legitime, jus eligendi maneat apud illos, qui præsentis extiterint.

6. A die convocacionis ad celebrationem Capituli, usque ad ejus Conclusionem, in quolibet Ordinis Monasterio fiat quotidie supplicatio ad Deum deprecatio pro felici ejus eventu, & pro prospero vocalium itinere. Post nonam itaque, vel Missam dicat Conventus Psalmum: *Ad te levavi animam meam, ut 5. Dist. 3. Cap. 15.*, quo peracto, Cantor incipiat: *Veni Sancte Spiritus &c.* & deinde *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison, Pater noster.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℞. Sed libera nos a malo.

℣. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur.

℞. Et renovabis faciem terræ.

℣. Salvos fac Servos tuos.

℞. Deus meus sperantes in te.

℣. Dominus vobiscum.

℞. Et cum Spiritu tuo.

O R E M U S.

Deus qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de ejus semper consolatione gaudere.

Adesto Domine supplicationibus nostris, & viam famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone, ut inter omnes viæ, & vitæ hujus varietates tuo semper protegantur auxilio. Per Christum Dominum nostrum &c.

C A P U T I I.

De præside Capituli Generalis, & casibus, in quibus ejus celebratio mutatur.

1. Vivente Magistro Generali sui muneris est præsidere Generali Capitulo, si per salutem, & expeditionem liceat, quod si morbo, vel alia justa causa ita fuerit impeditus, ut ipse per se Capitulo adesse non valeat, tunc præsidem ad illud mittere posse decernimus, Fratrem utique nostri Ordinis idoneum, & prudentem, tantoque muneri exequendo literis, & auctoritate non disparem. Hunc autem Magister sub nomine sui Vicarii, & non Vicarii Generalis literis opportunis sigillo suo roboratis ad hunc tantum effectum præsidendi constituat cum ea potestate quam declarabimus inferius.

2. Quoniam autem præter hunc casum potest Magister Ordinis morte, promotione, renunciatione, aliisque causis ab officio deficere: consequens etiam est, ut ad novam ejus electionem in alios Præsides incidamus, & diversis temporibus eveniat celebratio Capituli, providere que debeamus singulis.

3. Cum itaque futuris temporibus Magistratus Ordinis, per obitum, aut renunciationem,

vel alias quovis modo vacare contigerit, si id ante quatuor menses proximos mente Pentecostes eveniat Capitulum Generale in Vigilia hujus Paschalis celebretur. Si autem prædictus obitus Magistrum, vel alia vacatio (ut præmittitur) succedat intra tempus dictorum quatuor mensium ante perfectum Pascha, tunc celebratio Capituli Generalis ad Sabbatum ante Dominicam tertiam Octobris ejusdem anni differatur, quam scilicet non usualem, sed Ecclesiasticam intelligimus.

4. Similiter si prædicta vacatio Magistratus acciderit ante quatuor menses proximos, d. Sabbato tertiæ Dominicæ Octobris Capitulum Generale in eo Sabbato dictæ Dominicæ tertiæ celebretur. Si autem intra tempus ipsorum quatuor mensium ante dictam Dominicam tertiam Octobris obveniat, tunc ad Sabbatum, seu vigiliam Pentecostes anni immediate sequentis transferatur, itaut celebratio Capitulum Generalium, & electio Magistrum semper in Sabbato, & non alia die instituatur, aut fiat.

5. Unde in hunc finem, & pro majori declaratione hujus nostræ Constitutionis statuimus, ut si a vacatione Magistratus, usque ad vigiliam Pentecostes, plus quatuor mensibus intercedat, itaut ante dictam vigiliam isti quatuor menses expleantur, præfata vigilia habeatur Capitulum, similiter si quatuor prædicti menses finiatur ante Sabbatum Dominicæ tertiæ Octobris, non aliud Sabbatum expectabit electio, sed fiet in ipso.

6. Attamen si a vacatione Magistratus usque ad vigiliam Pentecostes, vel ab ipsa vacatione, usque ad Sabbatum tertiæ Dominicæ Octobris, ita pene quatuor menses interveniant, ut statim post dictam vigiliam, aut Sabbatum compleantur, videlicet intra sequentem hebdomadam, & ante Dominicam Trinitatis, vel quartam Octobris. Tunc celebratio Capituli Generalis transferatur respective ad hæc Sabbata ante Dominicam Trinitatis, vel quartam Octobris, & non ultra, ne propter paucissimos dies, ita longe Magistrum prorogetur electio.

7. Interea vero donec Magister eligatur, cum ad Priorem Barchinonæ, vel ejus defectu ad alios inferius suo ordine declarandos successioni religionis gubernio pertineat, quicumque tamen ille fuerit. Succedit etiam cum omnimoda facultate convocandi, & præsidendi Capitulo Generali usque ad ipsam electionem inclusive, & non amplius, sicut accidit etiam in præsentia ipsius Magistrum.

8. Declaramus autem, ut omnis tollatur ambiguitas, quod quotiescumque vacaverit Magistratus Ordinis intra quatuor ultimos sexennii menses, etiamsi paucissimi dies deficiant, Capitulum Generale celebretur Sabbato, quo sexennium concluditur, itaut Vicariatus Generalis amplius durare non valeat, quam illis præcise diebus, aut intervallo, quod deest, usque ad Conclusionem sexennii, & dictam celebrationem Capituli, quod a præfixo tempore divelli nequeat, nec Vicariatus ultra sexennium procedere.

9. Post electionem vero statim, ac noviter electus fuerit canonicè declaratus, ac in vere Magistrum a Capitulo susceptus, si præsens sit jam de cætero transiit in illum præsentiam munus in universis Diffinitoriis, & actibus, tam publicis, quam privatis ipsius Capituli; si vero abfuerit, idem Præsides electionis, omnibus præfatis actibus præsideat modo decreta a Diffinitorio facta a Magistro electo postea confirmantur.

10. Quod si durante Capitulo præ aliqua invalitudine Magister electus, nequeat præesse actibus, & Diffinitoriis Capituli, cujus est ipse Caput, & pars præcipua, tunc illi fas erit, alique de vocalibus ad hanc præsentiam eligere, & in illum transferre omnem suæ vocis auctoritatem pro singulis in Diffinitorio, & reliquis actibus decernendis. Cum tamen eligatur

fiat

fiat authenticæ, itaut de singulis actis electionibus, & Decretis Diffinitorii, vel Capituli esse rite, & Canonice facta, & non tamquam a corpore, aut Diffinitorio acephalo processisse in libro Ordinis, & ubique constare valeat.

11. Si autem casus adveniat, quod ex temporale obitu Generalis electi ante absolutio- nem Capituli, nova electio Magistri fieri de- beat in ipso Capitulo juxta inferius ordinanda: Tunc huic electioni semper præsideat Prior Bar- chinonensis, tamquam revera Vicarius Genera- lis, in hac etiam, etsi brevissima vacatione a Constitutionibus postulatus cui si fuerit absens, aut alioquin impeditus, suo ordine succedant, quos infra præsentis Constitutione decernimus.

CAPUT III.

De eligentibus, & eligendis in Capitulo Generali.

1. Cum Magister Generalis quia prima in Ordine dignitas jus habeat præsidendi Generali Capitulo, idcirco primum locum, & vocem semper obtineat in electione Magistri, universisque actibus totius Capituli electionem præcedenti- bus in omnibus insuper præfatam electionem consequentibus vocem sortiatur; id ipsum quo- que concedimus in Vicarium Generalem Ordinis, vel Capituli, Præsidem illi succedenti.

2. Rursus eos, qui in Ordine nostro munus Magistri Generalis obierint, ita præsentis Consti- tutione, ad præfatam Generale Capitulum con- vocamus, ut absolute, ad illud accedere valeant, & vocem electivam, & decisivam habeant in omnibus sicut quilibet ex Diffinitoribus, & Elec- toribus Capituli, locumque Magistro Generali, & Præfidi immediatum ante omnes Provinciales.

3. In qualibet Provincia quinque sint voca- les, qui Votum, & suffragium habeant in Ca- pitulo Generali Provincialis, & quatuor sibi Socii post ejus electionem in Capitulo Provinciali cano- nice electi, quorum duos Diffinitorum, alios vero electorum Generalium titulo gaudere constituimus. Ex his autem omnibus primum locum ha- beant Provinciales, deinde Diffinitores Genera- les, quos subsequantur Electores, juxta antiqui- tatem Provinciarum.

4. Vocales insuper, quos Electores Genera- les dicimus, tantum habeant vocem, & suffra- gium in actibus pleni Capituli, scilicet in qua- lificatione vocalium ante electionem, & in ipsa electione Magistri, & designatione domus Capi- tularis, non autem in aliis Congregationibus, quas Diffinitorium, ad differentiam Capituli nun- cupamus.

5. Prior autem Barchinonensis, etiamsi non sit Vicarius Generalis, neque præsideat Capitu- lo, vocem habet, non solum in electionibus illius, sed etiam in Diffinitoriis subsequentibus, & lo- cum post Provinciales, Vicariosque Provinciales immediatum, vocem tamen in omnibus ante illos omnes obtineat.

6. Deinde, qui in Romana Curia, strenue, & cum approbatione communi in Officio Procuratoris Generalis se gesserint per quinquennium, seu Magistri, seu solius præsentaturæ gradu præful- geant, vocem habent in Capitulo Generali pro- xime celebrando dumtaxat, & non tantum in elec- tionibus pleni Capituli, verum etiam in omnibus ejus Diffinitoriis usque ad absolutio- nem, & finem ipsius, ex Decreto Capituli Generalis Optensis a SS. D. N. Innocentio XI. confirmato.

7. Cum temporibus opportunis, & casibus a Constitutione nostra prævisis, & ordinatis possit in defectu alicujus de prædictis Electoribus, aut Diffinitoribus, novus alius vera, & Canonica elec- tione a Diffinitorio Provinciali substitui, super hoc ipso declaramus juxta decreta præsentis Ca- pituli Generalis Optensis hanc substitutionem fo-

lum esse intelligendam, & posse fieri aliquo ex prædictis suffragiis certo, & determinate vacare contigerit in effectu, non autem ob solam contingentiam, vel casum quo forte, in itinere, aut in ipso Capitulo quovis modo impediri possit aut deficere. Quod ut immutabiliter impleatur, & non ita late via pateat multiplicandi suffragia, nec pluribus, quam par est, temere, & sine causa determinata adire Capitulum liceat, præsentis Consti- tutione præcipimus, nullum Electorem, aut vocalem, in locum alterius subrogatum posse de cætero admitti in Generali Capitulo ad aliquem ejus actum, nisi exhibitio semper, & realiter præ- sentato authentico testimonio in ipsa sui creatio- ne a Diffinitorio Provinciali concedendo prout inferius in hac ipsa distinctione cap. 22. ordinatur, & legitimo impedimento illius, qui ad talem vocem habendam in Capitulo Generali electus fuerit in sua Provincia Provinciali Capitulo.

8. Quantum vero ad eligendos eos qui vocem passivam habeant in Congregatione Generali, statuimus primo ad Magistrum Generalem non quo- cumque de ordine esse semper habiles, sed inter ejus Provincias, & Regna, sequentem servandam fore alternativam, ita videlicet, ut semel sit ex tota Corona Aragoniæ, Galliæ, Italiæ, Regni- que Navarræ; semel vero ex tota Corona Castellæ, & Portugalliæ, inclusis Provinciis Vandalis, & Indi- arum Occidentalium, ac etiam Orientalium Congregatione, seu domibus.

9. Quod quidem intelligendum est de filiis dictarum Provinciarum, seu Congregationum, aut domorum, qui in eisdem vere professionem emisserint, nec sola adoptione sint filii. Hujus- modi enim nullatenus tali alternativa gaudere posse decernimus, nisi tantum in concurrentia earum Provinciarum, Congregationum, aut Domo- rum, ubi primam, & veram filiationem habue- rint.

10. Hæc ergo, quæ de Electoribus, & eligen- dis ordinavimus sic esse firma desideravimus, & sic stabiles eorum voces, ut tam activa, quam passiva privari aut desitui non valeant a Vicario Gene- rali Ordinis toto tempore vacationis Magistratus, ut amplius declarabitur inferius. Quod si ratio- ne alicujus delicti, vel ob alias causas aliquis de prædictis eo tempore appareat active, vel passive inhabilis, & suffragandi actione ex tunc jure com- muni, vel harum Constitutionum carere videatur, res deferatur ad Capitulum Generale, ubi accu- rate discussa, decidatur.

11. Si autem Magister Generalis electus mor- tem obierit ante absolutio- nem ejusdem Capitu- li, ubi creatus extitit, non ideo judicamus expletam, & evacuatam alternativam suæ par- tis, & Provinciarum, quin imo secundum eandem nova fieri debet electio Magistri ex personis ejusdem partis, & Provinciarum. Unde in hoc casu, nullam vacationem Magistratus contingere declaramus, itaut Ordo expectare debeat officium Vicarii Generalis per menses quatuor aut amplius.

12. Ex dictis ergo Provinciis, quæ juxta ordi- nem præfatæ alternativæ actualem fortem, & concursum habeant in Capitulo Generali unus Frater de universa eorum ditione, vel ambitu eli- gendus est a Capitalaribus, sive præfens, sive ab- sens sit a Capitulo, in quo nihil aliud considerare debent, nisi quod ætate sit maturus, & sensibus, doctrina, & Religione præclarus, morum suavi- tate acceptabilis, disciplinæ regularis amator, & in arte gubernandi, jam probatus diligens Zela- tor, & prudens.

13. Post celebratam electionem Magistri, eli- gantur etiam in eodem Capitulo per Diffinito- rium Generale, Vicarii Generales Indiarum, & Procurator Generalis Urbis, & quos oporteat con- stitui pro rebus totius Ordinis in Curis regum,

juxta modum, & formam inferius in hac distinctione Cap. 9. & 10. designandam in eodem denique pleno Capitulo eligatur Domus pro celebratione Capituli Generalis proxime succedentis cum alternatione, & qualitatibus in hujus *Dist. Cap. 11.* statuendis.

CAPUT IV.

De electione Magistri Generalis, & forma in illa servanda.

1. Instructo Capitulo, vocales omnes, quos jam in vigilia electionis, vel Sabbati, supponimus Domum Capitularem ingressos juxta inferius Cap. 8. ordinanda in ipsam sono Campanæ convenient, communiterque procedant ad obedientiam Præsidi exhibendam, quos ille benigne suscipiat, & opportuno tempore Vicarium Capituli sub hoc nomine instituat, qui jurisdictionem ordinariam habeat supra omnes capitulares, & alios Fratres ad Capitulum concurrentes. Talis autem Vicarius eligendus est ex vocalibus illius Provincie, in qua celebratur Capitulum Generale, vir quidem industrius, providus, & pacificus.

2. Eadem autem die, & vigilia sub Vesperum congregentur capitulariter prædicti Vocales a Præsede juxta morem, & factis commemoratione, & precibus pro SS. D. N. Papa, pro felicitate, & incrementis Ecclesiæ, pro Regibus Catholicis, pro Benefactoribus Ordinis, & fidelibus captivis, vivis, atque defunctis, prout superius *Dist. 3. Cap. 15.* de Capitulo quotidiano ordinatur, electionis Præsides, Patribus Electoribus brevem, & piam orationem faciat quæ, & de fine convocationis differat, & ad electionem Magistri Generalis secundum Deum, & canonicè peragendam hortetur, ac simul de meritis eligendi, & qua debet præstare virtute, prudentia, Doctrina, & zelo observantiæ regularis eos servenit admoneat.

3. Hac vero oratione peracta ad examen Vocalium, & legitimas eorum voces canonicè discutendas procedat, & primo per formalem obedientiam, & excommunicationis majoris poenam, ter illis præcipiat; ut si quis aliquem Vocalium legitimo impedimento, vel censura Ecclesiastica innodatum in Capitulo adesse cognoverit ratione cujus in electione suffragari non liceat, confestim prodat, & nullatenus latere sustineat. Quod si aliquis reperitur, vel censura Ecclesiastica, vel alio impedimento juris, nostrarumve Constitutionum inhabilis, idque sufficienter probetur facta de eo accurata discussione a Capitulo Generali ab ipso decidatur, & declaretur, & e Capitulo protinus ejiciatur, itaut in hac prima Congregatione, aut sessione, si maneant Vocales de suæ vocis legitimatæ jure examine comprobati, ut ad futuram, die sequenti, electionem sub certo numero statuatur.

4. Sequenti die primo diluculo, & ad auroram omnes Vocales legitima voce ad electionem suscepti in Capitulum locum conveniant, ibique a Vicario Conventus includantur, quibus locum electionis ingressis celebratur in eo Missa de Spiritu Sancto (quam etiam in toto Ordine, eademque die, & hora cantari præcipimus) ut post illam concio literalis ad Electores latino sermone habeatur hortando eos ad rectam, & bono communi utilem electionem, qua finita flexis genibus concinatur Hymnus: *Veni Creator Spiritus,* & eo cantato surgat Præsides, & dicat: *Emitte Spiritum tuum &c.*

O R E M U S.

Deus qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de ejus semper consolatione gaudere. Per Dominum nostrum &c. & sic ulterius ad sequentia procedatur.

5. Magister Generalis, seu qui ejus defectu præsideat similiter, ut pridie sub formali præcepto, & poena excommunicationis moneat excommunicatos, suspensos, & interdictos, vel alioquin suffragium, & vocem legitimam non habentes (si qui sint in præfato conclavi; aut quos adesse cognoverit) ut illico recedant, vel prodantur, cum de jure interesse non valeant; quo circa illis protestari debet non esse de mente ipsius aliquem illorum admittere. Si autem occulte se ingererint nolumus eorum voces, sive suffragia approbare, aut per eas electioni canonice derogare; seu quovis modo inferri præjudicium.

6. His itaque præmissis omnes electores adjurari debent a Præsede singulatim per Deum, & ejus Sancta Evangelia suis manibus tacta in hanc formam; Juras, quod secundum Deum, & propriam conscientiam, ac in Anima tuæ periculum eliges in Magistrum Ordinis, Fratrem, quem revera regulari observantiæ, & publicæ utilitati judicaveris meliorem, & magis idoneum regimini; Elector vero dicit: juro? quo juramento peracto omnes etiam singulatim accedunt ad mensam in qua erit coram Præsede vas aliquod præparatum, & secreto in illum schedulas injiciant, quas quidem, tam in hac, quam alia qualibet electione canonice faciendâ non teneantur Electores a Secretario Capitulari petere, sed ipsi eas infra, vel extra Capitulum ad proprium nutum valeant conscribere prout maluerint. Si autem intra Capitulum aliquis Elector ita langueat, ut nequeat electioni assistere; Capitulum nominet duos Vocales, qui ad Cellam ejus advenientes, accipiant ab eo suffragium clausum, & signatum, illudque ad Capitulum deferant, & eodem secreto in vase reponant.

7. Postquam omnes vota sua, & suffragia in vas præfatum immiserint, tunc Præsides Capituli cum duobus Diffinitoribus ex toto Capitulo dignioribus coram secretario vota, & singulas schedulas scrutentur, & computent: an vocalium numero coæquantur. Tunc autem si major pars medietate eligentium in aliquo Fratre convenerit, scrutinium, & electio publicetur ut Canonica a prædicto Secretario Capituli, qui fidem de omnibus præstabit in scriptis.

8. Is autem Secretarius, vel Notarius hujusmodi Capituli semper debet eligi ex Fratribus nostri Ordinis, & nullatenus secularis, præfatio prius secreti, & fidelitatis Juramento, cujus quidem muneris est fidem reddere, & authentice literis consignare universa electionis acta, & quæcumque gerantur & decernantur in Capitulo.

9. Si vero major pars eligentium (ut prædictum) in uno Fratre non conveniat, secundo, tertio, si fuerit opus ad nova suffragia, & scrutinia procedatur, donec major pars medietate eligentium in unum conveniat, & electio fiat Canonica: quod si intra duos dies non elegerint, præcipimus in virtute obedientiæ Commendatori domus, vel ejus Vicario, ut panis, & aqua tantum electoribus ministraretur, donec Magistrum Generalem eligant, ex se ipsis, aut aliis absentibus nostri Ordinis, juxta alternativas Superiori capite declaratas.

10. Ut autem in electionibus, quæ a majori parte Capituli fiunt, omnis incertitudo validitatis evitetur, decernimus, quod si eligatur religiosus extra gremium Capituli sufficiat pro majori parte numerus suffragiorum excedens partem alteram in una, ut ex quadraginta uno, vel quadraginta, viginti unum. Et si eligatur Religiosus de gremio Capituli, tunc ad certitudinem validitatis necessarium sit aliud suffragium, ut ex quadraginta uno, vel quadraginta, viginti duo.

11. Si autem in aliqua schedula inveniant scrutatores subscriptionem aliquam, vel signum, quibus persona eligentis innoteat, vel si nihil

in ea sit scriptum aut suffragium inepto tribuatur, non ideo præjudicium patiatur electio, si alioquin sufficienti suffragiorum numero facta sit, ut prædicatur, sed talis schedula subscripta, signata, vel alba, seu in favorem inepti reposita separatur, & pro suffragio cassato, vel potius deponitur, & solum habeatur ratio reliquarum ad scrutandum numerum Canonice electioni sufficientem, juxta majorem partem eligentium.

12. Cum autem inter scrutandum aliqua, forte, vel plures inveniuntur schedulæ supra numerum vocalium, scrutinium inane reputamus, atque adeo relicto priori ut penitus cassato ad aliud proceditur; denique vero cum jam legitima evadat electio omnes schedulæ coram toto Capitulo protinus comburantur.

13. His itaque peractis, & publicata electione, per Secretarium Capituli statim antequam novus Magister obedientiam suscipiat a Capitulo; debet coram Præsidente, & Electoribus, Secretarioque prædicto per Deum, & Crucem, & ejus Sancta Evangelia suis manibus tacta, Juramentum facere de sequentibus. Præses interroget. Juras, quod secundum Deum, & propriam conscientiam, & Constitutiones nostri Ordinis ipsum reges, & moderaberis, omni odio, & amore postpositis? Electus vero respondeat: Juro. Præses iterum: Juras, quod Ordinis instituta, & constitutiones ejus servabis, ac servari facies; & ea pariter exequeris, quæ pro parte Provinciarum Ordinis a suis prædecessoribus approbata, & reservata fuerunt? respondeat Electus: Juro. Præses adhuc: Juras, quod fideliter, & omni studio exequeris, quæ ad Redemptionem Captivorum pertinent, nec in aliquo juxta Constitutiones hujusmodi prædictæ Redemptionis bona, quovis colore, vel prætextu in proprios, vel alios usus convertes, aut converti permittes? respondeat Electus: Juro. Præses autem: Juras, quod omnia bona Ordinis tibi credenda fideliter attrahabis, & de illis, & quibuscumque aliis ad Ordinem pertinentibus, & tuæ dispositioni commitendis semper in Capitulo exactam rationem reddes? Electus vero: Juro. Præses tandem: Juras, quod observabis capita concordie intæ cum nostra familia Discalceata, circa ministerium Redemptionis prout in ea continetur? Electus respondeat: Juro.

14. Hæc est forma Juramenti perpetuo, & inviolabiliter a Magistro Generali Electo præstandi, qui si omnia, vel prædictorum quidquam jurare recusaverit, electio sit nulla, nec ipse pro Magistro Generali suscipiatur. Si vero juraverit, omnes confestim ad illum accedant, & genuflexi humiliter obedientiam exhibeant, quo facto incipiat Hymnus: *Te Deum laudamus*, & procedatur ad Ecclesiam locorum ordine servato prout in Capitulo, cujus tamen Præsidi Magister electus adhærebit ad extra, & ubi accesserit ad Altare, ibi prosternatur, & Præses electionis dicat.

✠. Salvum fac servum tuum Domine.

✠. Deus meus sperantem in te.

✠. Dominus vobiscum.

✠. Et cum spiritu tuo.

O R E M U S.

Concede quæsumus omnipotens Deus, ut famulum tuum, quem ad regimen animarum elegimus dono tuæ gratiæ prosequaris, ut te largiente cum ipsa tibi nostra electione placeamus.

Deus qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem spiritu recta sapere, & de ejus semper consolatione gaudere.

Concede nos famulos tuos quæsumus Domine Deus perpetua mentis, & corporis sanitate gaudere, & Gloriosa Beatæ Mariæ semper Virginis intercessione a præsentibus liberari tristitia, & æterna perflui lætitia. Per Christum &c.

Quibus ita finitis ducitur Magister electus ad Chorum ibique in sede sua se commendat orationibus Fratrum, & populo publicatur electio.

15. Tandem ergo de consensu Magistræ electi, & Capituli constituantur Procurator, vel Procuratores qui prædictam electionem Pontifici Maximo exhibeant, ut illam approbare, & confirmare dignetur, quippe cui Ordo noster est immediate subjectus. Si quis vero hujusmodi electioni rite, & recte (ut præmittitur) facta ausus fuerit contradicere, vel obstare, vel ab ea quomodolibet appellare, illum præsentis Constitutione excommunicamus & suffragiis tam in vita, quam in morte, & officiis in Ordine nostro perpetuo privamus.

16. Magister Generalis, qui præfato modo Canonice electus fuerit, suum statim officium exercere incipiat sub titulo Generalis electi, sitque caput, & Prælatus Generalissimus in toto Ordine, cui omnes Provinciales, atque eorum Provincia, cum omnibus, & singulis totius Ordinis Fratribus obtemperare teneantur. Postquam vero a Sede Apostolica fuerit confirmatus palam id notum faciat, & denunciât suis Provinciis, ac deinceps absolute nomine, & titulo Magistræ Generalis utatur.

CAPUT V.

De officio, & potestate Magistræ Generalis.

1. Generalis Magister universalem habeat potestatem in toto Ordine, illam videlicet, quæ superius Prælati cujuslibet Ordinis est de jure communi, vel privilegiis concessa, & in posterum concedenda ad omnia, quæ ex peculiari statuto nostri Ordinis non sunt illi prohibita, & ad Curam, seu administrationem totius Ordinis, tam spiritualiter, quam temporaliter exercendam. Unde per se solum in omnibus, & singulis eam potestatem habeat in toto Ordine, quam Provincialis in sua Provincia, & Commendator, seu Prælatus quisque localis in sua Commenda, vel domo. Insuper eam, quæ ad rationem sui officii, ex jure communi, aut privilegio, ex nostrisve Constitutionibus expectare potest. Verumtamen inferiorum Prælatorum ministerio non se immisceat, nisi ob eorundem defectum, vel cum prudentia, & rationabili causa id postulaverit, semper tamen inferiores illi parere teneantur.

2. Cum igitur ipsi incumbat, tamquam Generali Pastori, & Antifili Ordinem visitare, & proprias oves cognoscere, propterea ipsius conscientie consulendo præcipimus in Domino, ut in utroque triennio, totum Ordinem, & omnia illius Monasteria, per se, vel idoneos Fratres (si ipse non valeat) omni studio visitare non desinat. In sua autem visitatione se omnibus justum, & mitem exhibeat, ac regularis observantia amatorem, nunc verbo, nunc baculo; vel ferrea etiam virga corripiens si necesse fuerit, ita ut omnes sibi subditos quantum sit possibile in bonam frugem, & severam Ordinis disciplinam inducat.

3. Omnimodam autem potestatem habeat modificandi rationabiliter, & ex causa ut superius præmittitur pœnas hac Constitutione inflictas, exceptis tamen casibus ab ea præfixis.

4. Ipsius insuper est potestatis gradus Ordinis confirmare ac reliqua per se exequi, quæ olim agebantur in Capitulo Generali intermedio juxta Pauli V., & Urbani VIII. Decreta, quibus equidem insistentes præfatum Generale Capitulum intermedium de cætero celebrari omnino prohibemus.

5. Ad eum etiam privative pertinet adoptiones, & filiationes Fratrum unius Provincia in aliam constituere; si quæ autem Commendæ vacaverint in Provincia ubi reperitur potest eas pro

libito conferre, dum tamen Provincialis ejusdem Provinciae Commendatorem prius non elegerit. Unde inter ipsos super hoc in praedicto casu praeventionis jura constitutum. Similiter in Provincia, cui Magister adesse contigerit; si Diffinitorium Provinciae habendum sit illud convocare potest, & ei pariter praesidere, atque habere suffragium in electione Prioris Barchinonensis; si electionis tempore in ea domo fuerit inventus, non dissimilem potestatem habere decernimus ut convocet, & praesideat; pariterque vocem habeat.

6. Ad Magistrum quoque private attinet sententiam expulsiōnis ferre juridice in criminosos, incorrigibiles ea forma, quam superius declaravimus.

7. Item Magister Generalis debet apud se habere duo sigilla, videlicet magnum, & parvum, in quorum primo sit incisa Imago revelationis Ordinis cum ejusdem scuto, & stemmāribus istoque versiculo; per limbum: *Redemptionem misit Dominus Populo suo.* In secundo autem sint tantum praedicta Religionis stemmata, quo ut vere minori utatur in rebus minoribus, illo vero in majoribus tantum, & quae pro rei majestate sic postulant ad perpetuamque rei memoriam subjiciamus, ut in fine omnium literarum suarum, seu scripturarum testimonialium anno Domini, apponat etiam annum fundationis Ordinis his verbis. *A defensu vero, & apparitione Beatissime, & Immaculate Virginis Mariae ad Fundationem nostri Ordinis anno N.,* quam pariter ab universis aliis Praelatis observari praecipimus, ut antiqua Ordinis consuetudo ab ipsius limine inducta non pereat, tantaeque Matris dignationi istud, vel levissimum obsequium deferamus.

8. Magister Generalis potest ulterius praesidere Capitulis Generalibus, & Provincialibus per se ipsum, vel suum Vicarium ad id ab eo specialiter deputatum, & vocem quidem habeat, tam ipse, quam ejus Vicarius in omnibus electionibus, ordinationibus, & Diffinitoriis, usque ad absolutionem utriusque Capituli.

9. Properante jam tempore electionis Provincialis, poterit ipse Magister convocare ad celebrationem Capituli Provincialis, mittendo immediate suas literas ipsi Provinciali, qui illas continuo manifestet Capitulariter Conveni ubi adesse contigerit; ipsas vero deinde mittat illico ad omnes alios Conventus, ut cunctis vocalibus innotescant.

10. Ulterius in concurrentia Capitulum Provincialium potest Magister quodlibet eorum antepone, vel postponere per tres menses, a complemento triennii, ut uni, & alteri interesse possit, dummodo nullum a die Sabbati distrahat. Quod etiam praestare valeat, quamvis non sit concurrentia Capitulum, sed unicū dumtaxat celebrandum, si alioquin sibi visum fuerit expedire. Ultra tamen dictos tres menses non possit Magister Generalis Capitula Provincialia antepone, nec postponere.

11. Adhuc ad Magistrum pertinebit, ut vere Ordinis Patrem si praesens fuerit electionibus electores dirigere, eos modeste, pie, & religiose monendo, hortando, & instruendo. atque etiam vage suadendo ad eligendum personam digniorem, & magis idoneam ipsius, ut cumque virtutes regimini necessarias Capituli differendo. Si autem non interfuerit id ipsum per literas ad Capitulum, seu electores misit eadem charitate, quae nunquam agit perperam praestare licebit.

12. Quod si Electores in Provinciali Capitulo congregati intra tres dies a primo exclusive ad electionem designatam de persona eligenda non convenerint, vel electio non sit facta juxta Sacros Canones, Constitutiones, & Decreta Ordinis, atque adeo sit jure cassanda, tunc jus eligendi Pro-

vincialem devolvitur in Magistrum, qui illum confestim eligere teneatur.

13. Magister Generalis debet etiam confirmare electionem Vicarii Generalis nostrae recollectionis (si fuerit Canonica) intra dies 15, a primo praesentationis & Patres praedictae familiae intratres menses a die electionis tenentur praesentare illam Magistro Generali pro ejus confirmatione obtinenda ex concordia inter utramque familiam a Gregorio XV. confirmata.

14. Similiter debet electiones Provincialium rite factas confirmare, vel defectum earum ostendere, atque etiam Prioris Barchinonensis si sit quoque Canonice celebrata, in qua tamen si Conventuales de persona eligenda non convenerint intra mensem jus eligendi devolvitur in Generalem Magistrum, qui Vicarios Provinciales in quibusdam casibus inferius cap. 15. hujus dist. exprimendis creare possit sicuti, & in Provincia, quae ob Provincialis decessum regitur per Vicarium Provinciale ab eo relicto designare Vicarium Generalem, quem pro nulla extra hunc casum Provincia nominare valeat. Hinc tamen excipimus Hispaniae, Galliae, Italiaeque Provincias. Dicto namque Magistro in Hispania residentem potestatem facimus, ut pro Gallia, & Italia Vicarios Generales instituat. Dum vero in Gallia commoretur, vel Italia eandem facultatem habeat ad eligendum Vicarium Generalem pro Hispania.

15. Licet jure Constitutionis pristinae Magister Generalis de aliquibus dispensare possit cum Fratribus, illis interdum concedendo nonnullas exemptiones, gratias, & immunitates, nihilominus tamen quia plura, & ingentia damna ex hac liberalitate provenire compertum est, eam in posterum praedicto Magistro interdiximus, eique solum permittimus declarare Fratres aliquos illis immunitatibus, & exemptionibus gaudere, quae solent appellari reales, & quibus ratione officii, gradus, vel antiquitatis, quadraginta annorum in ordine gaudere possunt juxta Constitutiones hujusmodi, & Decreta Pontificum, seu Capitulum Generalium.

16. Pro expensis autem sui muneris, & pro vestitiis, aliisque sumptibus Ordinis singulae Provinciae teneantur singulis annis praefato Magistro persolvere eam pecuniarum quantitatem, quae pro earum diversitate, & facultate fuerit a consuetudine stabilita cum approbatione Generalis Capituli, ita tamen ut si plus, si minus nulla Provincia, vel etiam Congregatio, seu vice Provincia excludatur a solutione praedicta.

17. Sciat autem Magister Generalis, quod circa hujusmodi Religionis bona meram ei tantum administrationis potestatem concedimus intra Ordinem supra his quae ad bonum Ordinis spectant, eaque ideo ut communia, non vero, ut privata respiciat; nullaque insuper ratione, aut praetextu, bona Provincialibus, Commendatoribus, aut quibuscumque Fratribus ad usum concessa sibi quomodolibet determinet, vel assumat. Imo redditum omnium oppidi de Algar, & quarumcumque contributionum, tam pro vestitiis praedictis, quam alioquin sibi concessarum in Capitulo Generali proximo futuro, vel si ante illud deserat officium Provinciali, & Diffinitorio Provinciae, ubi reperit fuerit rationem reddere teneatur, ita ut animalia, quae officio deserviunt cum pecuniis, aliisve rebus ad illud pertinentibus, usque post redditam rationem supervenerint novo Magistro electo resignet pro usibus sui muneris, vel dicto Provinciali, & Diffinitorio tradat, qui ea Magistro eligendo custodiant.

18. Super omnia vero ipsius interest pro viribus laborare, ut in omnibus redemptio Captivorum ferventer exerceatur a Fratribus, ejusque eleemosynae omni studio colligantur, fideliterque serventur, ita videlicet, ut suis temporibus

sic omnes integræ fidelium liberationi proficiant, quod nulla ratione, aut prætextu cujuscumque privilegii aliquam, vel minimam partem aliis, quibuscumque usibus applicet, seu applicari permittat.

19. Qua de re omnem ignorantiam propellere desiderantes ipsi Magistro, ut universis Prælati Ordinis, ejusque Fratribus strictissime, & sub excommunicationis sententia ipso facto incurrenda præcipimus, ut enixe observent & observare faciant Decretum, & statutum editum in Capitulo Generali Barchinonæ anno 1520. ob aliquorumque ignorantiam, aut dubia sæpe in succedentibus confirmatum, & expresse declaratum, prout nunc expresse reproducimus, & declaramus circa renuntiationem, seu potius non admissionem cujusdam tunc recentis Bullæ Sanctissimi Leonis X. de anno 1516. & ejusdem confirmationis a Clemente VII. de anno 1525. quantum ad usum bonorum Redemptionis indifferendum, ita ut quæcumque ab ipsis concessa facultas prædicto Magistro, vel Ordini circa distractionem alicujus partis illorum nunquam censeatur admissa, imo quam primum, & sæpius, ut prædicatur ab ipsis Magistro, & Ordine renunciata, neque tunc in ejus præsentatione, aut aliquando suscepta, sicut eam, ut talem nunc iterum declaramus, & juxta pristinam Constitutionem nostram nullatenus a præfato Magistro, vel quibuscumque aliis exequendam sub prædictis pœnis, & omnibus aliis superius dist. 2. cap. 3. latis ubi cuncta circa prædictas elemosynas non alio distraendas prohibita juxta præsentem declarationem, & Decreta superius memorata esse, & fuisse semper intelligenda denunciamus.

20. Pro his ergo Magister debet impensus omnia quantum liceat impedimenta superare, ut Capitulo Generali, ac etiam Provincialibus semper interfuit, ubi prædictis maxime, & aliis, quæ ad bonum Ordinis attinent ad oculum valeat providere, ne gregibus sibi traditis propter sui absentiam in Capitulis minus diligenter a reliquis eorum pastoribus consulatur.

21. Uterius Provinciis magis desolatis, vel minus sibi sufficientibus debet esse favorabilior in concedendis Fratribus idoneis, & utilibus, sive ad legendum, sive ad prædicandum, sive ad alia Ordinis obeunda negotia, juxta utilitatem Ordinis, aut Fratrum transferendorum, vel etiam Provinciæ, a qua, vel ad quam translatio hujusmodi fuerit facienda; nunquam tamen sub hujus facultatis prætextu Fratrem aliquem traducat de vocalibus unius Provinciæ in aliam intra duos menses ante Capitulum Provinciale illius a qua dimittitur. Quod nec alio tempore faciat, nisi rationabiliter urgeat. Contentiones quoque (si quæ fuerint inter Provincias) debet prudenter dirimere, & a mutuis eas injuriis, & vexationibus præservare.

22. Magistri Generales post impletum officium maneant ipso facto Magistri de numero in qualibet totius Ordinis Provincia, ubi reperiantur in omnibus Capitulis, tam Generalibus, quam Provincialibus, eorumque Diffinitoriis extra, vel intra Capitulum celebrandis vocem habeant decisivam & electivam in omnibus, honorem paternitatis reverendissimæ non amittant, post Prælatum Conventus locum semper obtinent immediatum, ubicumque voluerint Conventualitatem possunt eligere de licentia Magistri, & ibidem socium penitus ab omni Conventus onere liberum illis dare præcipimus, in reliquis gaudent omnibus privilegiis, & exemptionibus quibuscumque aliis a Constitutione concessis, ita ut juxta supremam dignitatem præteritam amplior eis honor deferatur in singulis.

CAPUT VI.

De Successione in Vicarium Generalem Ordinis vacante sede Magistri, & de potestate illius.

1. Ut hæc successio clarius in singulis eventibus statuatur primo & ante omnia decernimus Magistrum Generalem posse ubique, & quovis tempore renunciare Magistratum per se, vel Procuratorem, coram tamen Provinciali, & electoribus, ac Diffinitoribus Generalibus ejus Provinciæ cui adesse contigerit. Qua renuntiatione facta, & authentico testimonio per secretarium Ordinis attestata, ex tunc protinus sedem Magistri vacare, & ad illum, qui jure harum Constitutionum sit Vicarius Generalis in Ordine, totum ejus regimen devolvi, perpetuo stabilimus. Cum autem Magister Generalis ad aliquam Ecclesiam, seu Episcopatum eveniat promoveri, non statim sedes Magistri vacua censeatur, nec successorem ad officium Vicarii Generalis vocatum illud posse confestim assumere quousque de præconizatione in Consistorio Romano, & confirmatione a SS. authentico liqueat testimonio.

2. Adhuc sedes Magistri vacare potest, vel per decessum, privationem, aliasve causas de jure præmissas, quacumque autem eveniente, sic successionem ejus constituimus: Cum Prior nostri Conventus Barchinonensis, sive sit confirmatus, sive non confirmatus semper esse debeat caput, & Vicarius Generalis totius Ordinis, quoties Magistro videtur, & sedes vere vacaverit; idcirco decernimus, ut quacumque ex prædictis causis vacare contigerit, Commendator domus, ubi evenerit (si tamen Provincialis ejus Provinciæ non adsit, cui præsentem actionem istam deferimus) nuntium specialem auctoritate & industria præstantem instituat cum authentico testimonio a Secretario deficientis Magistri recepto de veritate, & causa vacantis, & illum primo mittat ad præfatum Priorem Barchinonensem, ut illud ipsi, suoque Conventui notum faciat, ac nomine totius Ordinis in successionem inducat.

3. Quod si tunc temporis non sit Prior electus in prædicto Conventu, universis ejus Fratribus denunciamus ut intra spatium 24. horarum a puncto notificationis Priorem de more constituent, quod si secus fecerint, vel Prior inventus, aut electus aliunde fuerit impeditus succedat Provincialis, aut Vicarius Provincialis in capite Provinciæ Capitalaris ad proxime Generale Capitulum designata. His vero deficientibus, succedat Commendator domus pro eodem proxime celebrando Capitulo Generali præfixa. Qui si etiam fuerit impeditus transeat successio ad digniorem Diffinitorem Generalem ejusdem Provinciæ Capitalaris. Et his quoque impedimento constrictis, ad digniorem electorem generalem ipsius.

4. In his autem omnibus rite, ac de jure implendis, ita Nuntius præfatus sit prudens, & industrius, ut ex singulis ante dictis, quæ in præfato Priore, aut aliis post illum vocatis, successionem impediunt, authenticum testimonium semper accipiat, prout de jure opus fuerit, & illud secum deferens transeat de uno in alium, donec perveniat ad expeditum, & habilem, cui vacationem sedis, & ipsius successionem in illa notam authentice faciat, ac sigilla conferat Magistratus.

5. His vero quicumque fuerit convocatis illico Fratribus illius domus ubi reperitur, & in Capitulo congregatis prædictam vacationem sedis, sui que in ea successionem cum omnibus testimoniis, hanc, & illam rite ad stipulantibus manifestet, & tunc ab omnibus solemniter obedientiam accipiat coram tali nuncio, qui etiam de his postremis actibus fide dignam attestacionem recipiat, in qua, & aliis Superioribus semper notabit diligenter annum, mensem, diem

& horam possessionis officii Vicarii Generalis, & notificationis ejusdem, ita ut possit omnibus constare juridice de legitimitate successionis.

6. Sed cum hos omnes sui Vicariatus tempore possibile sit deficere, aut impediri canonice, ac proinde nova successione, sit opus; propterea statuimus, ut si Prior Barchinonensis sit Vicarius Generalis, & aliqua causa ex prædictis deficiat simili modo, ut superius notum faciat authentice per nuncium si accidat extra Barchinonem, alioquin intra illam a Secretario præcedentis Capituli Generalis intimetur præfato Conventui, ut Fratres ejus intra periodum 24. horarum ab instanti vacationis, vel ejus notitiæ novum Priorem eligant, qui pariter succedat in Vicarium Generalem Ordinis, quod si non fecerint, aut electus sit etiam (ut præmittitur) impeditus tunc sumpto per nuncium, aut Secretarium prædictum authentico testimonio totius rei gesta transeat ipse, vel nuncius ad Provinciam, seu Vicarium Provinciale Provincie Capitularis, aut alium successively vocatum (ut prædicatur) ipsique notam faciat successionem.

7. Si vero Vicarius Generalis deficiens non sit Prior Barchinonensis, sed alius de vocatis post illum tunc pertineat prædicta successio ad primum ex omnibus prædictis, qui tunc temporis non fuerit impeditus, ita videlicet, ut a Provinciali revertatur, & secundo quarat Priorem Barchinonensem, si jam ejus impedimentum cessaverit, ratione cujus transiit ad Provinciale. Quod si ita non sit, vel Prior non eligatur intra spatium præfatum, iterum revertatur ad successionem Provincialis, aut alios suo ordine vocatos ut supra, de quibus omnibus eadem, & eodem ordine observanda intelligimus si quisquam eorum sit Vicarius Generalis, & deficiat.

8. Sic successione Magistratus in Vicarium Generalem pro tempore vacationis legitime inducta quam primum talis Vicarius literas suas parentes, tam obedientiæ, quam convocationis ad Capitulum Generale celebrandum transmittat ad omnes Provincias, ad quas opportune pervenire valeant ante prædictum Capitulum, & hoc primum esse volumus suæ potestatis indicium.

9. Prior itaque Barchinonensis, aut ejus defectu quicumque alius de prædictis ad hanc successionem assumptus, dum officio Vicarii Generalis fungitur, ita sit revera totius Ordinis Caput, ut supremam, & eandem in omnibus habeat potestatem, & vices, quæ inerant ipsi Magistro, ac proinde gaudeat facultate, & auctoritate sufficienti tanquam supremum caput totius Ordinis ad confirmationem graduum conferendam sicut ipse Magister, & prout superiori *Distinct. Cap. 6.* amplius declaratur.

10. Illi tamen nullatenus liceat aliquem ex vocalibus Capituli Generalis proxime celebrandi mutare, vel privare, aut novos eligere, neque etiam nominare Vicarium Provinciale, quod si tempore sui Vicariatus Provinciale, aut ejus Vicarium deficere contigerit succedat absolute in Vicarium Provinciale quem inferius *Cap. 20.* de illius successione in Vicarium ordinabimus, unde quantum ad hoc ipsi Electores quos Magister Generalis quomodocumque deficiens reliquerit, permaneant immutabiliter in ordine, itaut sit in eodem statu usque ad electionem futuram, sicut fuerat ante vacationem Sedis.

11. Insuper si tempore sui Vicariatus aliquod Capitulum Provinciale obtigerit celebrandum, nec illud celebrare poterit, nec ab alio quovis modo celebrari, etiamsi compleatur triennium, sed prorogari omnino constituimus in aliam Dominicam in *Cantate* proxime futuram post generale Capitulum, itaut Provincialatus ad quadriennium in hoc casu producat, ne utique in electoribus Capituli Generalis aliqua mutatio contingat, ut inferius amplius de omnibus Pro-

vinciis, & Indiarum præcipue declarabitur in hujus distinctionis *Cap. 9.*

12. Prior autem Barchinonensis, vel ejus defectu quicumque in Vicarium Generalem successerit, si quando hujusmodi officium suscipit fuerit solum præsentatus ipso facto transeat in Magistrum, dummodo annos lecturæ pro Magisterio adimpleverit, si vero fuerit jam Magister de numero maneat post officium cum exemptionibus, & gratis exprovincialibus debitis cum præcedentia ad reliquos Magistros suæ Provincie, & immediate sedeat post omnes Exprovinciales, qui sunt, vel pro tempore fuerint.

CAPUT VII.

De Vicario Magistri, & ejus potestate.

1. Non solum in vacatione Sedis Magistri in Vicarium Generalem totius Ordinis incidimus, sed interdum etiam propter infirmitatem, aut aliud rationabile impedimentum ipsius Magistri ad alios Vicarios ab eo specialiter nominandos oportet ipsi facultatem concedere, quos & in potestate debeamus instruere.

2. Statuimus ergo Magistrum si ita impeditus sit, ut Capitulo Generali, vel Provinciali interesse nequeat, unum posse idoneum, & prudentem nostri Ordinis Fratrem sub titulo Vicarii Magistri ad Capitulum mittere cum literis opportunis suo sigillo roboratis. Cum autem fuerit in Capitulo, & illud jam sit congregatum sono cimbali, ut asolet, in vigilia ipsius prædictas literas præsentare tenetur, quarum virtute accepta a vocalibus obedientia, ex tunc eandem habeat potestatem in ipso Capitulo Generali, vel Provinciali, quam ipse Magister si præsens adesset, atque eadem illi obedientia, & honor a Commendatoribus, & universis Fratribus Capituli deferantur, quæ ipsi Magistro exhiberentur, & quidquid per ipsum Vicarium, & Diffinitorium Generalis, vel Provincialis capituli ipso durante diffinitum, aut ordinatum fuerit roboris obtineat firmitatem. In utroque autem Capitulo semper, ut vere caput, & Præses illius primam habeat vocem in omnibus, quam primum vero præsentia ejus expiraverit, eo quod succedat in munus Magister electus immediate post ipsum sedeat, in singulisque sequentibus Diffinitorii, & Capituli actibus vocem habeat, iisque peractis, potestas prædicti Vicarii protinus ipso facto cessabit.

3. Declinamus tamen, quod prædicti Vicarii, seu etiam Provinciales, qui in absentia Magistri Capitulo Provinciali præsentent, non gaudeant jure devolutionis quantum ad electionem Provincialis, quam in casibus infra dicendis soli Magistro concedimus, sed eis evenientibus tantummodo possit Vicarium Provinciale subrogare donec delata devolutione ad Magistrum ipse Provinciale in Provincia constituat; in reliquis autem electionibus ejusdem Capituli, & Diffinitorii Provincialis, si devolutiones eveniant, quas alibi etiam Magistro Præsidente committimus, eas quoque prædictis Vicariis aut cuilibet alteri Præsidenti concedimus, si videlicet Electores post tria scrutinia de discordia præmoniti adhuc in quarto dissideant, ne Capitulum moram patiat, vel maneat imperfectum.

CAPUT VIII.

De Diffinitorio Capituli Generalis, & quibus suffragiis ordine, & potestate constituatur.

1. In Diffinitorio Generali primam semper vocem, & locum habeat Magister Generalis electus, tamquam ejus caput, & præses noviter constitutus, etiam voce gaudeat Generalis absolutus, seu quisquam ex ordine electionis præsul, qui Generali electo immediatus assideat salva

Magistratus antiquitate sequantur, & vocem obtineant, qui jam in Ordine Generales extiterint. Deinde Provinciales, aut Vicarii Provinciales secundum ordinem suarum Provinciarum. Prior autem Barchinonenfis locum teneat post dictos Provinciales, Vicariove Provinciales immediatum, vocem attamen ante illos omnes primam habebit, postea succedat Procurator Generalis in Urbe, & tandem Diffinitores Generales, prout suarum Provinciarum antiquitas postulaverit, etiam in Diffinitorio Secretarium Generalem includimus sine voce tamen si alioquin illa non gaudeat, ut de omnibus Diffinitionibus, Decretis, & electionibus fidem faciat.

2. Omnes itaque praedicti sunt ex quibus componitur Diffinitorium Generale, & vocem, tam electivam, quam decisivam habent in omnibus ejus actibus, & statutis, locum autem, & ordinem, quem eis designamus, etiam extra Diffinitorium in actibus pleni Capituli, vel conventualibus, & domesticis observare praecipimus.

3. Hujus autem Diffinitorii potestas cum sit suprema, & altior in Ordine vim habeat legislativam, tam directive, quam coactive super omnes ejus Fratres, & Praelatos, itaut ab ejus correctionibus, & censura nullus penitus sit immunis, unde in omnibus, & singulis, quae pro toto nostro Ordine fuerint constituenda, mutanda, vel diminuenda, laudanda, approbanda, declaranda, & confirmanda, nec non puniendae, aut moderandae, dispensandae, vel indulgentiae, ita se habeat Diffinitorium praedictum, ut illa omnia ordinet, constituat, vel desituat, mutet, addat, seu minuat, laudet, approbet, & confirmet, puniat, seu etiam moderetur, dispenset, vel indulgeat, & firmiter quaecumque decernat, iis tamen exceptis de quibus constitutiones extiterint a Sede Apostolica confirmatae, quas nihilominus declarare poterit, & quicquid per hanc congregationem, seu diffinitorium fuerit generaliter constitutum, ordinatum, & declaratum universe in toto nostro Ordine observetur, & insuper vim constitutionis habeat, si per tria continua Capitula Generalia statuatur.

4. Tandem vero, ut quae in Diffinitorio sunt agenda, & decernenda Deo semper auspice fiant, statumus, ut quoties habendum sit ante omnia invocetur gratia Spiritus Sancti, & dicatur Antiphona, *Veni Sancte Spiritus*, cum alia de Beata Maria Virgine, ut moris est, cum Versibus, & Orationibus consuets.

C A P U T IX.

De Electione, Officio, & Potestate utriusque Vicarii Generalis Indiarum.

1. Constituto Diffinitorio Generali prima electio, quae ab illo assumitur est circa Vicarios Generales Indiarum, haec enim celebratur per suffragia secreta praedicti Diffinitorii, quam tamen poterit assignare Magistro, & in illum se compromittere, ut intra, vel extra Capitulum & quoties vocatio contingat praedictos Vicarios nominet, & ut etiam a Diffinitorio, vel a se nominatos ex juxta causa, jureque servato desituat eorum regiminis metam quinquennium esse statumus, nisi ob moram successoris, ut prorogetur necesse sit, ut ordinatur inferius.

2. Quomodocumque autem fiat electio semper debet esse praefati Vicarii ex Castellae, Vandaliaeque Provinciis, quarum scilicet non adoptione sed vera professione fiat filii, etiam si alterius nationis existant. Eorum quidem unus eligatur, ut visitet, & exerceat potestatem sibi traditam in Peruanis Provinciis, alter vero in iis, quas Ordo habet in nova Hispania, & Gautemala cum Insulis, & locis illi adjacentibus, & unitis.

3. Quod tamen ita faciat, ut uterque Vicarius, per vices suas eligatur alterne ex praefatis Castellae, Vandaliaeque Provinciis, ita videlicet, ut si Vicarius Generalis Peruanus sit semel ex Provincia Castellae in sequenti vice idem Vicarius Generalis eligendus sit ex Provincia Vandaliae, & nullo modo duo Vicarii Generales Peruani, aut novae Hispaniae sibi immediate ex eadem Provincia succedant.

4. Quam primum ergo ad quamlibet suarum Provinciarum quisque de praedictis Vicariis perveniat, in qualibet earum domo poterit publicare literas sui muneris quarum virtute Fratres omnes, quibus notificatae fuerint illum suscipere, & tanquam legitime Praelato obedire teneantur: sed ut omnibus, & singulis Provinciis sui regiminis praefatae literae pateant, unum transumptum authenticum ad eas transmittat, quo pariter a singulis agnoscatur, & suscipiatur, ut verus Pastor, & visitator earum.

5. Sed ne super potestate hujusmodi Vicariorum aliqua dubitandi rimula relinquatur, eam in omnibus esse generaliter ordinariam, Magistro tamen subditam declaramus a quo poterit limitari, si expediat sicut in multis ab his nostris Constitutionibus cohibetur.

6. Ad eos maxime pertinere decernimus visitare, & reformare praedictas Indiarum Provincias, & cum opus fuerit ad debitam observantiam reducere juxta regulam, & Constitutiones Ordinis nostri corripientes, & punientes excessus, transgressiones, & crimina Fratrum.

7. Ipsos etiam potestate inferuimus convocandi Capitula Provincialia secundum Statuta Constitutionum hujusmodi eorumque electiones confirmandi, irritaque faciendi in praefatis Provinciis, cum ita de jure secundum formam hic statim constituendam fieri oporteat; praecipimus tamen illis sub poena excommunicationis majoris latae sententiae, perpetuaeque privationis vocis activae, & passivae, ne unquam faciant, aut permittant se eligi in Provinciales earumdem Provinciarum, neque si eligantur consentiant, quod si contrarium fiat, talem electionem ex nunc pro tunc ducimus inanem; Electus vero contra Constitutionem istam a Magistro, vel Diffinitorio Capituli Generalis corripatur, nullatenusque recedat impunitus, sed debitis poenis cum severitate correctus.

8. Etiam si ut praemissum est hujusmodi Vicariorum officium quinquennio concludamus, ipsos tamen nolumus illud dimittere quousque successor accedat. Quare subditis eorum universis in virtute S. Obedientiae, & sub poena privationis a voce activa, & passiva praecipimus ut ab illorum obedientia sub praetextu jam adimpleri muneris, aut quinquennii, non audeant quovis modo desistere, donec alius in officio successerit. Nullus ex praedictis Vicariis Generalibus a Provinciis sibi creditis recedat quousque successoris suo exactam rationem de omnibus illis, officioque reddiderit, qui vero a suis Provinciis, & officio discesserit, non reddita prius successoris suo praefata ratione repertus fuerit, voce activa, & passiva privatus maneat. Ratio autem, residentiaeque praedictae ad Magistrum Generalem deferatur, & usque dum ab isto declaretur immunis, illum ad omne Religionis officium inhabilem declaramus.

9. Ipsis iterum enixe praecipimus, ut in nulla penitus Provincia ex sibi subjectis quacumque ratione, vel causa nominare possint, mittere, aut constituere Commissarium Generalem, aut quocumque alio nomine delegatum, sed earum regimen suis Provincialibus relinquat, quod si casus, & causa gravis accidat, quae suam praesentiam, & visitationem poscat, aut tempus eas visitandi pro munere imminet, nec ad eas accedere valeant, poterunt pro illis nominare, vel mittere Visitatorem, aut Visitatores, qui in omnibus se gerant, & observent universa, quae in

fra *Dist. sequenti, cap...* Alibi de Visitatoribus stabilitur. Si vero contra præsentem Constitutionem aliqua (ut præmittitur) nominatio contingat, nullius fore roboris declaramus.

10. Quo circa observari constituimus sanctionem jam alias memorati Capituli Generalis Oppensis a SS. Innocentio XI. confirmatam, qua præcipitur, ut instante ratione, vel causa, quibus necesse sit in præfatis Indiarum Provinciis Visitatorem (ut prædicitur) institui, non possint præfati Vicarii Generales illum eligere, nisi virum auctoritate, & matura discretione præditum, atque gradu saltem præfentaturæ insignitum. Nec item valeant hujusmodi officium, aut quodlibet aliud sive dignitatem, vel administrationem, & honorem suis conferre focis, aut aliis quibuscumque Fratribus alienigenis, etiam si in dictis Provinciis, jam adoptione gaudeant, nisi peracto, & adimplero integro quinquennio a die adoptionis illorum.

11. Cum autem per se, vel alium Provinciam aliquam visitaverint, non possunt ad se revocare Fratres Doctrinarios ad visitationem extra suam Doctrinam, nec ipsi ita vocati tenentur adire, sed in eisdem Doctrinis debent prædictam visitationem suscipere, & rationem præfatis Vicariis Generalibus, aut eorum Visitatoribus reddere, neque ab ipsis privari poterunt, & a Doctrinis amoveri, tam extra, quam intra visitationem, nisi prævia iustissima causa, & ea prius acta juridice. Caveat tamen Vicarius Generalis, ne unquam Doctrinarius a sua Doctrina recedat, usque dum successor adveniat.

12. Quamvis hujusmodi Vicarii Generales possint confirmare, ut præmittitur, & annullare Capitula Provincialia, & Provinciarum electiones, quæ veniunt de jure cassanda, minime tamen poterunt ad hanc declarationem in judicio procedere, nec similiter in aliis casibus suspendere, vel privare Provinciales, nisi per se tantum, & non per Visitatorem, & quidem prævia causa legitima de jure acta, & conclusa in ipsa Provincia, Provinciales privandi, aut suspendendi, sive ab electione exturbandi. Quæ omnia sic rite implenda, & actuanda præcipimus, ut videlicet privato, & annullatio electionis dictorum Provincialium semper fiat de consensu, & assensu quatuor Prælatorum, seu Diffinitorum ejus Provincie, ubi dictos Vicarios Generales adesse contigerit, suspensio vero de duorum dumtaxat assensu, & non aliter.

13. Sententiam vero sub hac forma a prædictis Vicariis, & Prælati, seu Diffinitoribus latam, plenum effectum sortiri decernimus qualibet appellatione postposita, & ne Provincia maneat orbata Præsule, continuo cum eisdem Diffinitoribus, vel Prælati, ac de illorum assensu, & consensu, eademque forma, qua Provinciale suspendit, aut deposuerit, vel ejus electionem annullaverit Vicarium Provinciale pro eo substituat.

14. Cum autem electio Provincialis post triiduum ab aurora Sabbati adhuc discordiam patitur, itaut Electores non conveniant, vel si conveniant non sit electio canonica, tunc ad solum Magistrum, ut reliquas omnes in toto Ordine similes devolvendam esse decernimus. Ipsi tamen Vicariis, necnon præsentibus loco illorum concedimus, ut interea per se solos Vicarium Provinciale substituant (ne Provincia maneat sine Præsule) & cum eo reliqua Capituli acta persolvant, si vero in electionibus reliquorum Officiorum, quæ sunt in Diffinitorio, & Capitulo, casus devolutionis eveniant, quos alibi Magistro Præsidenti absolute subjicimus ipsis quoque Vicariis Generalibus, seu eorum loco Præsidentibus quomodolibet, sine restitutione post quatuor scrutinia committimus, ut in hac *Dist. Cap. 7.* declaravimus.

15. Obeunte Provinciali absque nominatione Vicarii Provincialis, non liceat omnino prædictis Vicariis Generalibus, Vicarium Provinciale eligere, sed succedat Commendator domus Capitularis ubi statuta est proxima celebratio Provincialis Capituli, & suo Ordine Diffinitores Provincie, aut post eos dignior Provincie Magister dommodo prædictos nullum impedimentum adstringat.

16. Vicarii Generales Indiarum habent similiter suffragium in omnibus electionibus, & Diffinitoriis Capituli Provincialis, quotiescumque a Generali Magistro Præsidenti Capitulis, vel Præsidentem nominandi facultatem acceperint, illis autem strictissime subjungimus, ut ad præfata Capitula, non alia suffragia, aut vocales admittant, nisi Constitutionibus nostris præscripta, & prout inferius *Cap...* hujus *Dist.* declarabitur.

17. Cum autem prædicta auctoritate suffultus non valeat alicui Provinciali Capitulo interesse, ac necesse fuerit Præsidentem institui, illum semper eligat graduatum virum equidem ab omni ambitu, & aliorum partibus alienum, ne vel ad se totam electionem alliciat, vel partes alterius agens Provinciam, & Capitulum dividat, & concordiam ubique desiderabilem frangat, qui mittitur zelator ejusdem. Is eandem vocem in Capitulo, quam Vicarius Generalis si adesset obtineat.

18. Et ne superfluis sumptibus, & contributionibus graventur dictæ Provincie Peruanæ, & nova Hispania, statuimus, ut in posterum pro vestitiariis Magistri Generalis minime fiant contributiones ibi fieri solitæ, sed tam pro dictis vestitiariis, quam pro sumptibus Procuratoris Generalis in Urbe, & negotiis ab eo gerendis, præfenti Constitutione designamus medietatem illarum contributionum, quæ in dictis Provinciis fiunt, & fieri consueverunt pro vestitiariis Vicariorum Generalium, itaut tales exactiones, seu contributiones in duas partes æquales dividantur, quarum una mittatur Magistro Generali, altera vero Vicariis Generalibus, pro sui officii sumptibus deputetur.

19. Quibus denuo enixe præcipimus sub pena excommunicationis majoris late sententiæ, ac privationis utriusque vocis perpetuo subeunda, ut peractis suis officiis præfaram rationem reddant Magistro, & deinde proximo Generali Capitulo de omnibus prædictis contributionibus, ac aliis quibuscumque bonis, quæ toto sui regiminis tempore, tam titulo, & ratione præmissis, quam quolibet officii jure receperint.

20. Ipsi tamen interdiximus ne suos, Secretarium, & socium ordinem sedendi frangere, & locum inter Fratres sibi non debitum patiantur assumere, & ne quidem de cætero pendeat a sola comitate, vel libito, perpetuo observari præcipimus. Quod si Socius, aut Secretarius cujuslibet Vicarii Generalis Indiarum fuerit graduatus suæ propriæ Provincie, præfideat omnibus Magistris de numero, sitque ex Provincialibus immediatus. Si vero in sua Provincia graduatus non fuerit, locum obtineat immediatum ante omnes Præsentes de numero, toto videlicet tempore quo uterque præfatis muneribus respective gaudent, & solum in Provinciis ubi illa exercent, & non ultra.

CAPUT X.

De electione, & officio Procuratoris Generalis in Romana Curia.

1. Post electionem utriusque Vicarii Generalis Indiarum procedat Diffinitorium ad electionem seu nominationem Procuratoris Generalis in Urbe, secundum formam superiori capite declaratam per suffragia scilicet prædicti Diffinitorii, aut nominationem ab eo traditam, & com-

promissam Magistro. Hanc autem legi alternationis Provinciarum non adstringimus, sed undecumque sit Generalis potest dicitur Procurator ex totius Ordinis Fratribus institui, prout melius ad ejus negotia judicatum fuerit expedire.

2. Hujus munus est causas omnes, negotiaque peragere, quæ habuerit Ordo apud Romanam Curiam, atque ea totis viribus promovere, cui pariter jurisdictionem, & facultatem concedimus ad comprehendendum, puniendum, & corripendum omnes eos Fratres, qui sine licentia in scriptis a Magistro concessa reperti fuerint in Romana Curia, quam adire nemini licere patimur sine prædicta licentia, neque eam a Magistro concedendi, nisi cogat justa, & urgentissima causa.

3. Hujusmodi Procurator Urbis, vir utique debet esse præstantissimus literis, & prudentia decorus, morum suavitate, sensu, & virtute præditus, atque in rebus tractandis industrius. Hujusmodi Ordo noster provideat de sufficientibus expensis ad victum, & omnibus pariter quibus munus ejus indigeat. Non possit Generalis Magister eum absolvere, revocare, aut suspendere, nisi propter delicta, quibus ipso facto justam de jure mereatur a dicta procuratore repulsam. Si vero post factam nominationem tale Procuratoris officium, per mortem, renunciationem, privationem, vel alia legitima causa vacaverit, jus eum noviter eligendi penes Magistrum Ordinis maneat.

4. Is, qui per quinquennium strenue, & laudabiliter in hoc munere Procuratoris se gesserit, vocem semper habeat, tam electivam quam decisivam in omnibus Diffinitoriis, actis, & electionibus proxime dumtaxat futuri Capituli Generalis, & si præterea ante expletum prædictum quinquennium sit, aut fiat Præsentatus; maneat post illud cum gradu Magistri, & cum præcedentia ad omnes, qui in sua Provincia ad talem gradum fuerint promoti post finem prædicti quinquennii; modo habeat aliunde omnia requisita juxta Constitutiones Ordinis, & Decreta Apostolica ad Magisterium de justitia obtinendum, quod si prædictis qualitatibus fuerit destitutus, locum habeat immediatum omnibus Magistris de numero, & si denique ante finitum etiam præfatum quinquennium factus sit Magister de numero, maneat post procuratorem cum gratiis, exemptionibus, & loco eorum, qui fuerint Provinciales, sine præcedentia tamen ad omnes, qui tunc, vel postea ex-Provinciales extiterint.

5. Etiam prædictum Procuratorem Generalem, per totum Ordinem constituamus in Urbe per hoc tamen non tollimus, quod si Generalis extiterit ex Provinciis sub alternativa Coronæ Castellæ collocatis, aut viceversa Aragoniæ omnes, aut singulæ Provinciæ alternative contraria possint pro se alterum Procuratorem in Diffinitorio Provinciali intra, vel extra Capitulum eligere, & propriis expensis mittere, dum tamen in rebus obedientiæ, & Regularis disciplinæ sit subditus Commendatori Romæ nostri Ordinis, Vicarioque Generali Italiæ, observatis in omnibus nostri præfati Ordinis Constitutionibus, & statutis.

6. Præter Procuratorem Generalem in Curia Romana eadem forma eligantur, & designentur Procuratores Generales totius Ordinis, quibus de facto sit opus in Regum Curii, tam pro rebus ipsius Ordinis, quam pro redemptione generatim. Et quia extra Capitulum idipsum contingere potest, itaut in aliqua regum Curia oporteat pro prædictis rebus totius Ordinis, & redemptionis aliquem Procuratorem Generalem noviter institui, vel jam institutum remove, aut privari, & in ejus locum alium subrogari, hæc potestas relinquatur Magistro, cujus nominationem deinceps ratam habere volumus, &

omnes ab eo nominatos in veros Procuratores redemptionis, & Ordinis respectivæ, & prout de jure opus fuerit constituimus, cum omni potestate, legitimaque facultatis plenitudine, acsi creati essent a toto Capitulo, vel Diffinitorio Generali.

7. Ipsorum quidem sit munus ea omnia subire, & versare negotia, quæ ad Senatus, Tribunalia, vel Judices ejus Curie, in qua respectivæ fuerint, pertinere videantur, tam pro redemptione, quam Ordine. Qui autem hoc munere funguntur, si non fuerint graduati ex eo solum vocem electivam habeant in Provinciali Capitulo suæ Provinciæ, & in Ordine sedendi post omnes quomodolibet graduatos locum immediatum obtinebunt. Quod si gradum aliquem habuerint, ejus antiquitatem servabunt juxta ejus confirmationem a Magistro. At vero inter se ipsos si aliunde fuerint æquales semper alterum in loco vincat, qui redemptionem procuraverit etiam si fuerit professione posterior.

CAPUT XI.

De electione Domus Capitularis generalis Capituli, ejusdemque absolutione.

1. Domum Capitularem pro futuro immediato Capitulo Generali per veram electionem omnium vocalium alternatim designari præcipimus, ita videlicet, ut si Generalis electus sit ex Provinciis alternativam Coronæ Aragoniæ, Galliæ, & Italiæ constituentibus, Domus Capitularis eligatur ex aliqua Provinciarum præfata alternativæ, & pariter si Magister fuerit electus ex Provinciis ad alternativam Coronæ Castellæ, Portugalliæ, atque Indiarum atinentibus, etiam domus Capitularis immediate futura in aliqua ex hujusmodi Provinciis designetur, itaut electio Magistri immediate futura semper fiat in aliqua Provinciarum, quæ non sunt habituræ vicem, & alternationem. Eam vero sic designatam a Capitulo nullatenus Magistro, nec ejus Vicario mutare liceat, nisi cum instante celebratione Capituli Generalis fuerit impedita peste, aut bello, sive alia causa simili.

2. Ubi cumque autem hæc domus assignetur, Electores provideant, ut locus sit salubris, & quantum fieri possit vocalibus cunctis accommodus, & non profusus sumptibus accessibilis, nullaque libertati vocalium ratione suspectus, itaut jura canonicæ electionis inde violari non possint, neque annullationis, sive infractionis periculum ex hac parte timeatur.

3. Ad hanc autem Domum tempore Capituli, omnes Fratres, qui vocales non sint, vel ex munere teneantur omnino accedere, prohibemus: quod ut inviolabiliter observetur, reproducimus Decretum Capituli Generalis Optensis a Sæo Innocentio XI. confirmatum, etiam alioquin paulo ante memoratum quoad vitanda magna, & intolerabilia dispendia, quæ fieri possunt in hujusmodi accessibus, & stationibus in Domo tam Capituli Generalis quam Provincialis per aliquos Religiosos qui neque sunt vocales, nec de corpore Capituli, nec aliquem in eo habent actum, illis strictissime præcipitur sub pœna excommunicationis majoris latæ Sententiæ trina canonica monitione præmissa ipso facto incurrendæ, & sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ in perpetuum, & utraque irremissibiliter subeunda, & nullus Frater cujuscumque gradus, aut qualitatis extiterit adire, vel ingredi præsumat Domum Capitularem, neque Civitatem, aut locum cujuscumque Capituli, nisi sit de corpore ipsius, & cum voce, & actu aliquo in illo, vel de licentia in scriptis a Generali Magistro, vel ejus gerente personam expedita.

4. Cum autem prope diem Capituli vocales

jam

jam conveniunt, eos statim in illam ingredi præcipimus, ne indecore per diversoria curitent, aut morentur incommode. Ingressi, tam de suis Viaticis solvant Conventui victum, donec expensæ Capitulares incipiant. Nimis autem properare, aut valde immature Domum prædictam ingredi omnino interdicimus sub pœna gravioris culpæ, nisi de licentia Magistri, vel Præsidis.

5. Conclusis jam electionibus, ac Decretis prædicti Diffinitorii Generalis totum congregetur Capitulum cui Præses orationem brevem, pia tamen gravitate fluentem instituat, qua omnes ad Regularem Disciplinam severius observandam hortetur, ac deinde omnia Diffinitorii Generalis Decreta, una cum S. Inquisitionis edicto legi, & publicari faciat, & tandem ad absolutionem Capituli forma cap. 18. hujus dist. subjicienda procedat.

CAPUT XII.

De Electione Sociorum Magistri Generalis.

1. Cum ita officio postulante duos sibi Socios debeat Magister assumere illi omni studio consulumus, ut eos semper eligat morum suavitæ præditos, Deum timentes, Ordinis Zelatores, discretionem oratos, religiosaque, & amabili conversatione benignos, & nihil aliud de ipsis, & suo munere quærat, nisi solam Ordinis utilitatem.

2. Illorum sit officium ea, quæ viderint, vel audierint in Ordine corrigenda, vel pro illius majori bono disponenda Magistro prudenter aperire, illaque præsertim quæ ad redemptionem Captivorum atinent ad memoriam revocare. Si qua vero Ordinis secreta ipsis crediderit sub districto silentio contineant.

3. Ex his autem Sociis unus ad minus debet esse Secretarius, & in Epistolarum arte disertus qui magis laboret in notando sententiose, & breviter quam sermonem turgidum, & verba sublimia. Debet etiam Ordinis sigilla apud se retinere, literas signare, & pertinentia ad hæc in promptu habere, librosque Magistrum, & Ordinis custodire, ad quod munus exercendum in Magistrum manibus faciat juramentum tacto suis Evangelio in hanc formam, dicat enim Magister: Juras in animæ tuæ periculum, quod eris fidelis in omnibus, & quæ pro bono Ordinis, tam in ejus visitationibus, quam universo regimine fuerint tibi credita, retinebis, & secundum Deum, & propriam conscientiam tuum munus in omnibus exequeris? Secretarius respondeat: Juro. Alter vero Socius vir sane debet esse totius consilii, literis, & auctoritate præstans, quem possit Magister de gravibus, arduisque rebus consulere, sibi que adjutorem adhibere, atque illi interdum si expedierit aliqua sui muneris agenda committere.

4. Dum hujusmodi Socii funguntur hoc munere solius Magistrum obedientiam subeunt, & nulli alteri Prælato subduntur. In ordine sedendi Magistris omnibus eminent, & eos tantummodo Exprovinciales præcedunt, & qui talium honore jurè harum Constitutionum sunt affecti. Cum autem ab officio recesserint si per tres annos illud obierint maneat cum gratis, & honoribus Exprovincialibus debitis dempto loco dumtaxat. Socios vero Magistrum quos ad honorem dicimus, sic jam in posterum destituimus, ut nullam ulterius eorum electionem in omnibus Provinciis permittamus, nisi tantum eorum, quos Magister in exercitio constituit, ut sibi continuo adherent.

CAPUT XIII.

De loco, tempore, convocatione, & Præside Capituli Provincialis.

1. Ordinatis jam superius, quæ pertinent ad

Capitulum Generale, occurrit statim Capitulum Provinciale eadem forma, & distributione ordinatum. Quoad locum ergo celebrationis ejus semper in ea Domo fieri constituimus, quæ in præcedenti Capitulo designata fuit a Diffinitorio Provinciali, vel in suis casibus a Magistro, ut infra Cap. 17. hujus Dist. statuitur.

2. Nulli penitus Ordinis Fratri hæc Domum Capitularem, aut locum ejus adire, neque intrare liceat, sine ministerio, vel voce, aut sine licentia in scriptis Magistrum, vel Provincialis, aut alioquin Præsidis a Capitulo admissi sub pœnis in hac Dist. Cap. 11. latis; cæterum quisque facultatem habeat mittendi ad Capitulum, & scribendi literas ad Præsidentem Provinciale, & Diffinitores circa ea, quæ ad statum Domus Provinciæ, seu Ordinis expedire judicaverit, modo veritatem profiteatur. Quod si contrarium repertum fuerit, pœna gravioris culpæ puniatur.

3. Quantum vero ad tempus prædicti Capituli semper illud Sabbato ante Dominicam in Cantate fieri constituimus, nisi per Magistrum Generalem propter concursum plurium Capitulorum, aut aliam rationabilem causam transferatur, vel anteponatur, juxta facultatem sibi concessam, & superius in hac Dist. Cap. 5. declaratam.

4. Provincialis officium tribus præcise annis concluditur a Sabbato in Sabbatum prædictæ Dominicæ regulariter computandis; ita scilicet ut triennium, non quidem naturalibus, sed annis Ecclesiasticis constituatur: unde si ratione facultatis præmissæ anteponendi, & postponendi Capitula præcedens celebratum sit diebus aliquot ante, & post prædictum Sabbatum, non ideo Capitulum subsequens eadem die præcedentis celebrandum est, sed ad Sabbatum præfate Dominicæ in Cantate redire debet.

5. Attamen ab his legibus omnes Provincias Indiarum excludimus, quas propter vastitatem Regionum, Climatūque varietatem suæ consuetudini hæcenus ab Ordine, jam probatæ relinquimus; ita tamen ut Sabbatum Capitulare, in qualibet earum, & quovis anni tempore, respectivè designatum sit semper initium, & consummatio triennii, & terminus pariter unde sumatur facultas protrahendi, seu anticipandi Capitula cum Vicariis Generalibus, si id aliquando expedire videatur, & specialem ad hoc facultatem habuerint a Magistro.

6. Si autem contingat impleri triennium vacante Sede Magistrum celebratio Capituli Provincialis prorogabitur in Dominicam in Cantate immediate futuram, post Capituli Generalis celebrationem, ut Ordo Magistratu quovis modo vacante in eodem penitus statu consistat usque ad electionem Magistrum.

7. Circa vocationem prædicti Capituli decernimus, ut properante ejus tempore possit Magister Generalis convocare ad ejus celebrationem per literas patentes mittendo eas immediate Provinciali, quas ille continuo manifestabit, & notas faciet pleno Capitulo illius Conventus ubi adesse contigerit, & inde ad omnes alios transmittet. Si autem Magister Generalis reperitur in aliquo Conventu illius Provinciæ, ubi habendum sit Capitulum prædictæ literæ convocatoriæ prius notificari poterunt capitulariter dicto Conventui, posteaque ad Provinciale mitti, qui pariter reliquis Conventibus illas notas faciat.

8. Quod si duobus ante mensibus, quam compleatur triennium literæ convocatoriæ Magistro Provinciali Provinciæ ubi habendum est Capitulum notificatæ non fuerint, tunc casus, & non aliter Provincialis suas literas convocatorias publicare poterit, quas si forte neuter expediat, sciant vocales se vi hujus Constitutionis esse convocatos ad Capitulum die, quo juxta supradicta haberi debet, & in loco a Diffinitorio præcedentis Capituli designato celebrandum. Illos

autem

autem qui comparuerint aliis non expectatis ad omnes electiones, & alia necessaria, quæ in his Capitulis consueverunt fieri, & decerni sine mora procedere posse, & debere decernimus. Quibus omnibus ita robor, & firmitatem adicimus, ac si omnes in unum convenissent, absentibus non obstantibus.

9. A die convocationis ad celebrationem Capituli usque ad ejus conclusionem in quolibet Provincia Monasterio fiat quotidie supplex ad Deum deprecatio pro felici ejus eventu, prospereque vocalium itinere uti supra in hujus dist. cap. 1. stabilitur.

10. In hujusmodi Capitulis primus de jure Præses sit semper Magister Ordinis ubicumque possit ad illa commode accedere, & inveniri contigerit. Si autem fuerit rationabiliter impeditus, vel alia causa perurgeat, poterit ubicumque nominare Vicarium, & Præsidentem ad celebrationem cujuslibet Capituli Provincialis, quod etiam facere poterunt Vicarii Generales Indiarum juxta facultatem a Magistro concessam, ut superius præmissimus. Quod si prædicti Præsides deficient propriis Provincialibus, seu Vicariis Provincialibus hæc munia committimus, nisi forte gubernante Vicario Provinciali a defuncto Provinciali relicto adfit Provinciae (ut potest) Vicarius Generalis pro illius regimine electus juxta ea quæ superius in hac dist. cap. 5. stabilivimus in quo casu defectu Præsidis a Magistro nominati præsideat dictus Vicarius si fuerit expeditus.

CAPUT XIV.

De electoribus, & eligendis in Capitulo Provinciali.

1. Magister Generalis, seu quisquam alius ejus loco suffectus in Præsidentem primam vocem habeat in Capitulo Provinciali. Deinde Provincialis, vel Vicarius Provincialis in capite, postea qui aliquando fuerit Magister Generalis in Ordine, Diffinitores Provinciae, omnes Magistri, & Præsenti de numero Provinciae, tam ex Cathedra, quam Prædicatione, nec non qui per Breve speciale sanctissimi a Provincia admissum hujusmodi gradus obtinuerint, cum voce, & voto in Capitulo cum hac tamen conditione, quantum ad Præsentes, quod videlicet prius in aliqua Universitate de licentia Ordinis, vel a Magistro Generali, aut Provinciali suæ Provinciae ad Baccalaureatus gradum sint promoti.

2. Etiam vocem, & suffragium habeant omnes Commendatores, seu Præsides in capite omnium Conventuum Provinciae. Deinde eodem gaudeant suffragio & voce in suis respective Provinciis Procuratores Generales Provinciae tam pro Redemptione, quam Provincia, quocirca firmiter statuimus Procuratores Generales totius Ordinis solum posse creari, & institui in præcipua curia Regnorum, quæ sunt sub uno Principe; aliter enim dicto suffragio non gaudere, ultra prædictos ab hac Constitutione vocatos, nullus Superior alios vocales instituere, vel creare possit sub utriusque vocis privatione in perpetuum, & sub nullitate Capituli. Omnes igitur prædicti Fratres tenentur venire ad Capitulum, nisi Infirmirate, vel alia simili causa legitime sint impediti, de qua certum faciant Capitulum per literas testimoniales.

3. Commendatores autem per tempus duorum mensium ante celebrationem Capituli Provincialis, non possint privari sua Commenda, possunt tamen ab officio suspendi, usque ad celebrationem Capituli in quo nihilominus votum, & suffragium habebunt. Qui autem eum suspenderit, Præsidentem Conventui præficiat.

4. Similiter statuimus: ut intra prædictos

mens ante Capitulum nemo possit renunciare officio, ratione cujus habet suffragium in Capitulo sub pena inhabilitatis ad omnia Ordinis officia. Si tamen iusta de causa quis renunciaverit loco illius nominatus voce in Capitulo non gaudeat.

5. Ex vocalibus autem præfatis solum Patres Provinciae, Magistri, & Commendator Domus Capitularis Provinciae poterunt secum unum focium adducere. Cum autem vocales ad Capituli locum accesserint, statim se in domum Capitularem recipiant, non enim eos patimur per diversa vagari: ita tamen ut ante celebrationem Capituli non de Conventus expensis, sed de suis Viaticis alantur. Caveant autem sub pena gravioris culpæ, ne sic audeant properare, ut ante tres dies domum Capitularem ingredi præveniant, nisi de licentia Magistri Generalis, aut Provincialis.

6. Si vero Commendator aliquis impeditus fuerit, quominus ad Capitulum veniant Fratrem mittat aut nuncium cum literis, causam & statum Domus continentibus, Provincialis vero, aut Vicarius Provincialis, vel Visitator scripto, seu verbo accedat, semper instructus de his, quæ in suo regimine, aut visitatione reliquerit, vel digna invenerit providentia Capituli.

7. Circa eos, qui in omnibus electionibus Capituli Provincialis voce gaudent passiva, sub electionis nullitate constituimus ut qui eligendus sit in Provinciale, debet esse totius disciplinæ regularis amator providus, & discretus, ac literarum ornamento conspicuus, simulque Magister, vel Præsentiatus illius Provinciae, & ab ea admissus, duodecimque saltem annos a professione adeptus. Deinde decernimus, ut qui jam Provincialis extiterit, aut etiam Vicarius Provincialis in capite per duos integros annos non potest eligi in Provinciale, nisi post completum officium duobus trienniis ab eo vacaverit.

8. Diffinitores Provinciae debent esse gradu Magisterii, vel Præsentaturæ insigniti, vel ad minus antiquitate 20. annorum a professione præstantes. Quo circa ut nullus serpere possit error jam antiquitatem probandam fore decernimus per authenticum testimonium, omni fide, & juris autoritate roboratum: statuentes insuper sub eadem nullitate, ut qui in præcedenti Capitulo, vel extra illud jam fuerint in Diffinitores assumpti, in proximo sequenti Capitulo de novo eligi non valeant, neque extra illud in aliorum locum substitui, donec integrum triennium elabatur.

9. Diffinitores Generales, indispensabiliter debent esse Magistri, vel Præsentiati. Electores vero Generales idipsum habeant, vel ad minus 20. annos antiquitatis a professione, quam debent etiam authentico testimonio comprobare, ut Diffinitores Provinciae, sub eadem pena nullitatis electionis sub qua similiter statuimus, ut qui in uno Capitulo, vel extra illud sit electus Diffinitor, aut Elector Generalis, non possit ad idem officium eligi in proximo sequenti Capitulo, possit tamen in eis alternare, ita ut fiat Elector, qui prius extitit Diffinitor & e converso. Qui tamen actu est Provinciae Diffinitor, minime potest eligi in Electorem, aut Diffinitorem Generalem. Commendatores, & Prælati locales, vel Gradum habeant, vel sexenni ad minus a Professione antiquitatem excedat, ita ut in aliqua Domu Vicaria, seu Novitiorum Magisterio saltem per triennium simul sint probati, vel actu annos lecturæ, seu prædicationis ad gradum aliquem de justitia promerendum a Capitulo approbatus obtineant. In eligendis vero ad cetera officia nullum aliud speciale requisitum exigimus, præter ea, quæ in suis propriis locis pro electione ipsorum agenda designamus.

CAPUT XV.

De prima die Capituli Provincialis, ac Suffragiorum ejus regulatione.

1. Primam diem Capituli appellamus feriam 6. ante Sabbatum ad electionem Provincialis designatum. In mane ergo dictæ feriæ sextæ hora quasi nona Commendator domus Capituli cymbalum Conventus pulsari faciat in signum inchoationis Capituli, ut intelligatur, ex eo jam apertum esse, & inceptum, ac deinceps vocales non posse egredi domo Capitulari, usque dum fiat Provincialis electio. Electores autem ad prædictum signum Conventualiter congregati accedant simul ad præsentiam Magistri, vel Vicarii Generalis ab eo nominati, & horum defectu Provincialis, ut se illi in Capituli formam exhibeant, a quo etiam ex eo tempore revera suscipiantur, ut tales cum benignitate, & amore. Si vero adfit Præses missus ejus literæ a Secretario Provinciæ in hac ipsa Capitulari Congregatione legantur, & ut talis exinde suscipiatur ab omnibus.

2. Sic autem inchoato, & aperto Capitulo, illius Præses constituat unum Fratrem ex vocalibus virum prudentem, discretum, & sollicitum, qui sit Vicarius ejusdem Capituli, sine cujus licentia nemo Fratrum audeat egredi a Monasterio, simulque diligenter provideat, ut nullus maneat extra illud.

3. Eodem die ad vesperam omnes vocales congregentur in Capitulo, ibique Præses Commendationem faciat pro Domino Papa, pro Rege, pro Benefactoribus Ordinis, pro fidelibus captivis, & pro felici statu Ecclesiæ, super quibus enixe debet injungere vocalibus, ut in suis semper obsecrationibus prædictorum memoriam repetant, ac brevi oratione præmissa fergat Præses, & incipiat Psalmum; *Ad te levavi ut supra Distinct. 3. cap. 15., deinde Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison, Pater noster &c.*

℟. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℟. Oremus pro Domino Papa.

℟. Dominus conservet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum ejus.

℟. Salvos fac servos tuos & ancillas tuas.

℟. Deus meus sperantes in te.

O R E M U S.

Omnipotens sempiternæ Deus, qui facis mirabilia magna solus prætende super famulum tuum Papam nostrum N. & super cunctas Congregationes sibi commissas spiritum gratiæ salutaris, & ut in veritate tibi complaceat perpetuum ei rorem tuæ benedictionis infunde.

Prætende Domine famulis, & famulabus tuis dexteram caelestis auxilii, ut te toto corde perquirant, & quæ digne postulant assequantur.

4. Post hanc deprecationem ipse Præses aliam plane gravem, & piam orationem instituat, in qua finem, ad quem convenierint proponat, & simul vocales omni verborum pondere ad electionem Provincialis Deo sane dignam, & Ordini profecturam hortetur. Ea autem finita Secretarius Magistri, vel alius Frater ab ipso, vel Præside in Notarium Capituli Electus, & prævio secreti, & fidelitatis Juramento susceptus referat omnes Fratres defunctos ejus Provinciæ a tempore Capituli immediate præteriti, qui semper debent esse inviolabiliter conscripti in libro Capitulorum ipsius Provinciæ, & per illum legi fideliter, ipsique relatis surgant omnes, & dicant *De profundis clamavi &c. & in fine Requiem æternam &c. Kyrie eleison &c. Pater noster &c.*

℟. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℟. A porta inferi.

℟. Erue Domine animas eorum.

℟. Ne tradas bestiis animas confitentes tibi.

℟. Et animas Pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.

℟. Requiescant in pace.

℟. Amen.

℟. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℟. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

O R E M U S.

Absolve quæsumus Domine Animas famulorum tuorum Fratrum nostrorum ab omni vinculo delictorum, ut in Resurrectionis Gloria inter Sanctos, & electos tuos resuscitati respirent per Christum Dominum nostrum. Amen.

5. In fine autem Præses pia exoratione commendat orationibus Provinciæ animas prædictorum Fratrum, ac deinde ad censuram, vel examen, & probationem eorum, qui in tali electione vocem, & suffragium habent prædatur. Quo circa Præses moneat ter, & præcipiat vocalibus universis sub pœna excommunicationis majoris latæ sententiæ, ut si quem agnoverint de præsentibus aliquo juris communis, aut nostrarum Constitutionum impedimento obstructum, ob quod Capitulo interesse, aut electioni, seu electionibus suffragari nequeat, illico notum reddant. Si quis vero præfato modo reperitur impeditus, a Congregatione Capituli ejiciatur, quousque impedimentum ab ipsa mature, & sedulo discutatur, quæ si in illud invenerit, declarabit, & innodatum protinus quippe qui suffragio legitimo careat a Capitulo repellat. Qui autem de suæ vocis legitimitate, & valore Canonico fuerint comprobati, & sub certo numero constituti ad futuram Electionem progrediantur.

6. Si quæ sint literæ Apostolicæ, seu Regales ad Capitulatum directæ, hæc coram toto Capitulo ab ejus Secretario referantur, & legantur. Idem fiat de iis, quas Magister miserit, aut Vicarius Generalis, si forte Capitulo non adfuerint. Aliæ vero literæ, vel Epistolæ, si Fratrum Ordinis fuerint, majori Religionis commodo, & utilitati providentium Dissinctorio reserventur. Si autem sint commendatiæ a quocumque tam intra, quam extra Ordinem expeditæ nulla ratione aperiantur quousque finiatur Capitulatum.

CAPUT XVI.

De secunda die Capituli Provincialis, ac de Provinciali, aliisque hac die eligendis.

1. Diem secundam Provincialis Capituli dicimus Sabbatum ad electionem agenda destinatum; in eo quidem omnes vocales ad Auroram signo cimbali convocati simul ingrediuntur Capitulatum, & statim dicitur Missa Spiritus Sancti, quem omnes interea humiliter exorent, ut eis ostendat quem elegerit ne in humana ipsi electione displiceant. Hanc autem Missam in omnibus Provinciæ Domibus pariter eadem ipsius Sabbati hora cantandam esse decernimus. Illa vero peracta in Capitulo omnes genuflexi invocent Spiritus Sancti gratiam, Cantantes hymnum *Veni Creator Spiritus &c. ut supra Dist. 4. cap. 3. in cuius fine surgat Præses, & dicat.*

℟. Emitte Spiritum tuum Domine, & creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terræ.

℟. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

O R E M U S.

Deus qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta

sapere.

sapere, & de ejus semper consolatione gaudere.

2. Deinde vocalibus suo Ordine sedentibus fiat concio, quam literariam dicimus, sermone latino, ut est moris in Ordine, qua similiter præmoneatur digniorem Fratrem in Provinciam ita eligere, ut electio sit Deo acceptabilis, & majori bono Provincia profutura. Ea vero finita Præses Capituli primo, secundo, & tertio moneat pridie sub præcepto, & sententia excommunicationis ut omnes (si qui sint) de jure prohibiti, a præsentis electione recedant, vel ut eos denuntient, quicumque tales adesse sciant. Quo circa debet Magister, aut Præses protestari universis nullam sibi profecto incidere mentem aliquem ex prædictis ad electiones suscipiendi. Si qui forte occulte se immiserint & impedimenta celaverint, non propterea eorum vox illegitima præjudicium aliquod inducat electioni future.

3. Postea singuli Electores, & Vocales suo ordine accedant juraturi in manibus Præsidis per Deum & Crucem, & Sancta Dei Evangelia propriis manibus tacta, videlicet sub hac forma: Præses eos interrogat dicens: Juras, quod omni odio vel amore postpositis, eliges in Provinciam Fratrem Ordinis, & Provinciam nostræ, qui ad minus duodecim annos integros professionis obtineat, & virum sane Religiosum, providum, & prudentem, atque etiam Doctrina commendabilem, & vel Magistrum, vel Præsentatum ab Ordine, & Provincia admissum, & qui denique tuo judicio dignior appareat, & tam in spiritualibus, quam etiam temporalibus præstantius Provinciam modereur, & diligat? Elector autem respondeat: Juro.

4. Hoc ergo juramento sic præstito sit statim coram Præside vas aliquod præparatum in quod vota, seu schedula secreto mittantur, ita tamen ut mittentes eas, & vas ab omnibus videantur. Postquam vero prædictas schedulas & vota omnia in vas præfatum intulerint; tunc Præses cum duobus Diffinitoribus Provinciam dignioribus, & Secretario Capituli vota omnia computent, & scrutentur & si major pars medietate eligentium (juxta omnia in Magistri electione tradita) in aliquo Fratre convenerit, tunc scrutinium publicetur, & denunciatur electio ut Canonica, & Secretario Capituli, qui fidem de omnibus præstabit in scriptis. Si autem major pars eligentium non convenerit, secundo, tertio, & quoties opus fuerit ad scrutinium procedatur, donec major pars medietate eligentium conveniat, Canonicaque evadat electio.

5. Si autem Electores intra triduum a primo ingressu ad Auroram Sabbati jam prædicti de persona eligenda non conveniant, aut electio in eodem triduo non emergat Canonica, & legitima; tunc jus eligendi devolvatur ad solum Magistrum Generalem, qui statim si sit præsens per se solum debet Provinciam eligere. Si vero sit absens Præses Capituli certiore reddat Magistrum de devolutionis eventu, & interim nominet per se Vicarium Provinciam, cum quo prosequatur, & concludat Capitulum, qui & Provinciam gubernabit, donec Magister Provinciam elegerit. Verum si electio litigiosa fuerit, & non satis aperte irrita, etiam si fiat intra triduum mittatur similiter ad Magistrum, a quo judicium pariter expectetur, & interea Provincialis electus, non destituatur officio, sed habeatur ut talis usque ad declarationem Magistri.

6. Si vero contingat (ut superius etiam prædicitur circa electionem Magistri) ut in aliqua schedula seu suffragio feruntur reperiunt aliquam subscriptionem, aut signum, quo deveniatur in cognitionem eligentis, vel sit omnino alba, aut in favorem inepti conscripta, non ideo præjudicium inferat electioni, sed talis schedula quæcumque sit comparetur ab aliis, & pro suffragio nulla reputetur, solumque habeatur ref-

pectus ad reliquas schedulas, juxta majorem partem omnium vocalium.

7. Semper numerentur schedulæ antequam legantur, & si una vel plures supra vocalium numero repertæ fuerint, omnes simul separentur, & relicto priori ut prorsus inani ad aliud scrutinium procedatur. Tandem vero cum jam eo scrutinio, & præfatis schedulis legitima electio deprehensa fuerit, omnes illæ protinus comburantur coram omnibus in ipso Capitulo ita ut nulla de quocumque scrutinio maneat. Si numerus suffragiorum sit impar, servetur ad electionem Canonica idem quod in electione Magistri cap. 4. hujus dist. ordinatum manet.

8. Peracta igitur electione, & a Secretario publicata Capitulo antequam ab eo suscipiat electus obedientiam debet se sistere Præfidi, ibique per Deum, & Crucem & Sancta Dei Evangelia suis manibus tacta Juramentum sequens genuflexus elicere. Præses enim illum sic interrogat. Juras, quod secundum Deum, & propriam conscientiam, & juxta Constitutiones Ordinis Provinciam tibi commissam gubernabis omni odio, & amore postpositis? Electus autem respondeat: Juro. Præses insuper: Juras quod eris obediens Magistro Generali Ordinis, & successoribus ejus, & quod fideliter, & omni studio, curam, & sollicitudinem ages circa Redemptionem Captivorum, ejusque elemosynas colligendas? Electus vero: Juro. Uterque Præses: Juras, quod de omnibus, quæ receperis, quovis modo, in Diffinitorio rationem reddes, neque relaxationem hujus juramenti, aut dispensationem in aliquo a Sede Apostolica postulabis? Electus vero: Juro.

9. Hoc itaque sic dato Juramento, omnes surgant, & a Capitulo processionaliter egredientes ad Ecclesiam procedant cantantes Hymnum: *Te Deum*. Ubi prostratus Provincialis Electus Benedictionem suscipiat a Præfide eadem forma, quam supra in hac Dist. cap. 4. retulimus. Eaque finita Fratres ad illum suo ordine accedant, genuflexique ei obedientiam exhibeant.

10. Si autem persona electa fuerit absens a Provincia, potest Magister Generalis, vel Præses de consilio Diffinitorum nominare Vicarium Provinciam ad regimen Provinciam, & ad Diffinitorii, & Capituli munia gerenda, cum omnimoda facultate Vicariis Provincialibus per Constitutionem concessa, quem Provincialis Electus revocare non poterit, neque alterum denuo nominare, usque dum suam Provinciam ingrediat. Si autem non a Provincia, sed solum a Capitulo sit absens, Nuntius mittatur ad ipsum, qui ex parte Præsidis, & ipsius Capituli notam faciat illi authentico testimonio electionem, quam si acceptaverit, eo mature possit accedere ad Capitulum ante conclusionem illius, eo quam primum se conferat, ubi omnia prædicta cum ipso fiant. Si autem venire nequeat in ipso Conventu ubi adest (absens vero a Provincia in prima suæ Provinciam domo) prædictum faciat Juramentum in manibus Commendatoris, & cantato Hymno *Te Deum*: præfatisque Benedictione, & orationibus super ipsum a Commendatore recitatis accipiat obedientiam a Fratribus.

11. Quod si munus, & electionem declina-verit, & solutum sit jam Capitulum, res deferatur Magistro, qui, vel admissionem electo jubeat, vel Provinciam Provinciam per se ipsum provideat. Si tamen id accidat in remotis, valdeque distantibus Provinciam a residentia Magistri, & quæ per Vicarios Generales gubernantur, debet ab ipsis interim constitui Vicarius Provinciam, usque ad deliberationem Magistri; ne tam longo tempore Provincia suo Præfule maneat viduata.

12. Electio Provincialis intra Hispaniam debet præsentari Magistro Generali intra sexaginta

dies,

dies, alias sit irrita, & vana, & Magister Generalis tenetur illam confirmare, si Canonice, & juxta formam Constitutionum facta sit, quod si renuerit illam confirmare, causas, & defectus Canonicos erga electionem, vel personam electam manifestare debet. Provinciae autem Galliae, & Italiae intra tempus quatuor mensium tenentur praesentare coram Magistro Generali, electionem sui Provincialis; quod si intra dictum tempus illam non praesentaverit, electio sit irrita, & nulla; Provinciales vero Indiarum a Vicario Generali, & postea a Magistro ordinis confirmationem petant.

13. Quandocumque autem nullitas electionis fuerit a Magistro declaranda, aut Provincialis alioquin ex causa legitima deponendus, nunquam id faciat per alium, sed per se ipsum, & de consensu, & assensu quatuor ex dignioribus Magistris ejus Provinciae ubi reperitur, quod si tantum fuerit suspendendus, duo tantum ex praedictis sufficiant.

14. De Vicariis autem Generalibus, & quibusdam aliis, qui hujusmodi Capitulo in absentia Magistris praesideant, quam, & qualiter facultatem habent in praedictis, & aliis jam respective in propriis locis hujus Dist. superius ordinatum relinquuntur, & in sequentibus statuetur.

15. Completa electione Provincialis, quam primum fieri possit ad electionem Diffinitorum Provinciae transeat Capitulum: hos quatuor in unaquaque Provincia constitui decernimus, viros equidem discretionem, ac zelo ad majorem Provinciae utilitatem bonumque praestantes, & conditiones cap. 14. hujus Dist. habentes, quos eadem forma scilicet per suffragia secreta, & a toto Capitulo eligendos esse constituimus, ita ut in electo major pars medietate eligentium convenire debeat, servarique omnia quae de aliis electionibus superius saepe decrevimus.

16. In ipsorum electione si post trina scrutinia vocales admoniti, adhuc in quarto dissideant, jus eligendi migrabit in praesidem; novis autem Diffinitoribus electis Priores subito expirant, & eorum locum recentes assumant, illique ad eum, qui alias ad ipsos attinet statim revertantur. Ex quibus si forsitan aliquis non graduatus exiterit, nullam amplius vocem, aut ingressum habeat in aliquo actu Capituli cum jam ad illud nulla alia ratione pertineat.

17. Quicumque autem in Diffinitorem sit quis modo creatus, sequens Juramentum super tacta Evangelia facere debet in manibus Praesidis Diffinitorii, vel Capituli, qui sic illum interroget: Juras quod secundum Deum, & propriam conscientiam, atque omni odio, & amore postpositis, quae tui sunt muneris exequeris, & non personarum sed in omnibus solius Ordinis, & Provinciae bono prospicies? Ipse vero Diffinitor respondeat: Juro.

18. Post praesatam Diffinitorum Provinciae electionem procedat immediate Capitulum ad Diffinitores, & Electores Generales eadem forma creandos, viros quidem prudentia, & Religione praeditos, atque etiam conditionibus ut superius cap. 14. hujus dist. declaratis, in his autem electionibus si post tria scrutinia Electores admoniti ulterius in quarto non convenient vis eligendi transeat ad Praesidem illius Capituli.

19. Cum aliquis Diffinitorii Generalis officium denuo susceperit jurare debet in manibus Praesidis Diffinitorii, suis Evangelii superpositis, quae sequuntur. Juras (inquit Praeses) quod secundum Deum, & propriam conscientiam atque omni cordis affectione posthabita, omnes tui muneris actus, totis viribus implere conaberis, & nunquam in rebus decernendis eris personarum acceptor, sed solius boni totius Ordinis, & regularis Disciplinae Zelator? Diffinitor autem: Juro.

20. Denique ab eodem pleno Capitulo nominentur Judices causarum, & examinatores annorum lectionum, & praedicationis omnium Lectionum, & Praedicatorum, qui eos probare voluerint, & tandem designentur calculatores rationum a quibusque Fratribus in Capitulo reddendarum.

CAPUT XVII.

De tertia die Capituli Provincialis, rebusque ab ejus Diffinitorio peragendis.

1. Die tertia Capituli scilicet Dominica, seu postridie electionem fiat sollemnis Processio, Missaque celebretur ab ipso Provinciali electo (si fuerit expeditus) de festivitate illa, vel Sancto Ordinis, quam jam consuetudo Provinciae stabilierit, vel Magister, sive ejus Generalis Vicarius, Provincialisve absolutus designaverit, atque in ea habeatur concio de ipso, quae simul ad Institutionem Electi dirigatur. In hac Missa communicare debent Fratres omnes non Presbyteri; Sacerdotes vero Capituli, dictis primis tribus diebus Divina celebrent pro Benefactoribus Ordinis: ad Vesperam ejusdem Provinciae conclusiones habeantur, residuis vero diebus juxta morem Provincialium mane celebrentur officium, & concio: Conclusiones autem Vespere; ita tamen, ut postremo die officium cum concione semper sit pro Defunctis.

2. Ab hac ergo die, vel a Vespere diei praecedentis, quando id non incommodum fieri possit, debent sine ullo temporis dispendio celebrari Diffinitoria, quae intra Provinciale Capitulum constituuntur primo ex persona Magistri, vel alterius pro eo Praesidis, & deinde ex Provinciali electo, & Provinciali, seu Vicario Provinciali absoluto ad dexteram, & sinistram ipsius Praesidis collocatis, & quatuor Diffinitoribus Provinciae, hinc inde quoque sedentibus secundum Ordinem dignitatis, sive antiquitatis ad invicem, ita ut graduatus non graduato semper emineat, & inter ipsos servetur qualitas graduum, & antiquitas eorumdem.

3. Qui Generales jam fuerint si huic Diffinitorio tam intra, quam extra Capitulum adesse libuerit eos omnino cum voce electiva, & decisa suscipimus. His omnibus additur ubique Secretarius, sive Magistri, sive Praesidis Capituli, sive alius quisquam ad hoc munus a praedictis electus qui fidem praestare valeat, & signare literis universa, quae ibi fuerint decernenda.

4. Omnes ergo personae praedictae excepto Secretario (nisi fuerit etiam Diffinitor) suffragium decisivum habeant in hoc Diffinitorio, tam in Decretis pro bono Regimine, & reformatione Provinciae, quam in electionibus per illud agendis, quae omnia, ut secundum Deum fiant invocari debet in cujusque Diffinitorii initio gratia Spiritus Sancti, recitando Antiphonam: *Veni Sancte Spiritus*: cum versu, & Oratione consuetis.

5. Deinde Praeses cum praedicto Diffinitorio nulla alia persona cujuslibet status, officii, vel conditionis admissa, invicem conferat, quae fuerint ordinanda, & agenda, ad quod Praeses 1. 2. & 3., moneat, ac juret, & praecipiat omnibus ex Diffinitorio in virtute Spiritus Sancti, ut in his quae fuerint decernenda per se ipsos non personas, vel odium in eas, vel amorem accipiant, & in corrigendis Fratribus solius disciplinae regularis zelo, non sivoire ducantur, in conferendisque dignitatibus solius Ordinis, & Domorum ejus utilitati prospiciant.

6. Hoc praeepto, & adjuratione cuncti ex Diffinitorio praeventi procedant ad sequentia suo Ordine, & maturitate exequenda, ubi primum singuli Commendatores resignare debent titulum suae Commendae, & de illius statu integram rationem reddere, per transumptum a calculo-

rum totius triennii compendio deductum a seque, & Præsede, clavariisque Conventus subscriptum, quod coram Diffinitorio de verbo ad verbum legatur, ut Commendatoribus ipsis ad Congregationem accersitis, ejusdem nomine Præsides pro uniuscujusque merito operosum laudet, desidem vero increpet, si quem falsa perhibuisse probatum fuerit, is poena gravioris culpæ puniatur. Si qua debita Commendator aliquis in suo Conventu non soluta reliquerit, eaque Diffinitorio celaverit, ipsa per eum, & Depositarios, qui simulationi consenserint solvenda esse constituimus.

7. In prædicto transumpto pariter de receptis pro redemptione Captivorum fidelem penitus rationem reddat Prælatus, itaut nullus audeat venire ad Capitulum sine vero, & legitimo computo eorum omnium quæ pro redemptione undecumque susceperit. Ad quem etiam uberius comprobandum deferre teneatur ad Capitulum transumptum dati, & accepti omnium eorum quæ ad redemptionem attinent prout adest in libris redemptionis juxta superius Dist. 1. Cap. 4. stabilita circa quæ Diffinitorium diligenter exploret, quo fervore charitatis hujusmodi, nostrique instituti implentur officia, & quem in iis injuria temporum invenerit, omni severitate corripiat.

8. Deinde Magister Generalis si adfit, & Provincialis absolutus, aut eorum Visitatores si sint ex Diffinitorio proponant illi, quæ in visitationibus, vel extra, tam communi, quam privata emendatione, aut reformatione digna in Provincia perscrutati fuerint, quibus sane, ut Diffinitorium de salubriori medela provideat rebus mature, exacteque discussis opportuna reformationis Decreta super omnibus instituat.

9. Rursus de litibus inter Fratres auditis causarum judicibus Diffinitorium judicet, easque omnino dirimat juxta majoris partis arbitrium. Si Visitator, aut Provincialis, seu Vicarius Provincialis absolutus proclamatus fuerit, & accusatus fuerit legitime, vel de aliquo crimine convictus, corripatur a Diffinitorio secreto, vel prout æquitatis ratio, & culpæ qualitas postulerit, & secundum pœnas a jure, vel Constitutione suscipiat.

10. Similiter examinatores annorum lectionis, & Prædicationis exhibeant sua judicia de illis, ut ab ipso Diffinitorio feratur sententia eos juxta meritum approbando, aut etiam reprobando, vel si opus sit exponendo ad gradus Ordinis calculatores. Denique supputationem ad Capitulum pertinentium non dissimiliter proponant Diffinitorio quod sentiunt de illis, ut debitum circa eos Decretum Diffinitorium proferat.

11. His peractis procedat Diffinitorium ad Prælatorum localium nominationem eos ad hoc munus eligendo, quos majori bono spirituali, ac temporali Domorum secundum Deum, & propriam conscientiam meliores judicaverit, cum qualitatibus Cap. 19. hujus Dist. designatis, deinde pro redemptione peragenda duos redemptores instituat cum conditionibus in Cap. 5. Distinct. 2. stabilitis. Et si ad eam proxime perficiendam collectæ Eleemosynæ sufficiant, tempus pariter statuat, quo debeat expediri. Quod si ex redemptoribus electis, aliquem post Capitulum mori, vel languere contigerit, illum Magister Ordinis ex ejusdem Provinciæ Fratribus pro libito reproducat.

12. Uterius prædictum Diffinitorium pro negotiis ipsius Redemptionis ad totam Provinciam spectantibus unum Procuratorem Generalem nominare debet, & alium pro rebus ipsius Provinciæ peragendis, quibus deficientibus quomodolibet post Capitulum a Provinciali, similiter designentur, decernentes, ut cuique Procuratori ex prædictis, tam Provinciæ, quam re-

demptionis, & tam intra, quam extra Capitulum creato, semper Diffinitorium Provinciæ instrumentum præbeat Procuratorum cum plena, aut limitata facultate, quæ pro opportunitate unicuique respective conveniant, & quotiescumque opus fuerit eam augeat, vel cohibeat, eandemque cum habeat, acsi a toto Capitulo traderetur.

13. Postea ab eodem stabiliantur Diffinitorio Novitiatum Domus atque eorum Novitiorum Magistri, utrorumque vero mutationem, aut novam institutionem extra Capitulum non permittimus, nisi rationabilis, & gravis causa perurgeat, qua superveniente ad id potestatem extra Capitulum Provinciale, seu Vicario Provinciali relinquimus, itaut de Domibus Novitiorum non sine Diffinitorio constituat, de ipsorum vero Magistris per se solum providere valeat.

14. Deinde studiorum regentes pro Domibus Theologiæ Scholasticæ, uti supra Cap. 2. Distinct. 6. instituat, & Fratrem aliquem literis, & genio præstantem Provinciæ Historiographum eligat, & ubi Conventus Monialium habemus pro illis Vicarios destinet omni sufficientia, & morum honestate conspicuos, qui earum confessiones audiant, atque illas spiritualiter dirigant.

15. Denique prædictum Diffinitorium eligat Domum Capitularem pro futuro immediate Capitulo, cujus electio sic semper a præfato Diffinitorio private fiat, ut nulli alteri Prælato compromissa relinquatur, ne si ille obire contigerit sine designatione loci, hic vagus maneat, ignotusque vocalibus, quibus ab ipso ante actio Capitulo expedit, & volumus innotescere; ex tunc enim ad illum jure Constitutionis convocati sunt omni tempore etiam, ut possunt, Convocatores deficient, facultatem tamen ad eam commutandam, aliamque denuo instituendam instante tempore convocationis ad Capitulum, justaque, ac rationabili causa interveniente prædicto Diffinitorio, & Magistro Generali concedimus. In quo casu, vel quolibet alio in quo Domus Capituli, tam Generalis, quam Provincialis mutationem subeat, non ideo jura successione Magistri, vel Provincialis in suis respective casibus ad Provinciale Provinciæ Capitularis, aut Commendatores Domorum utriusque Capituli pertinentia mutari permittimus, sed maneant semper apud illos ad quos juxta priorem electionem Domus Capitularis attingebat.

16. In prædictis autem nominationibus, ac Decretis, & quibuslibet aliis a dicto Diffinitorio determinandis aut eligendis absque suffragiis secretis, si vota in partes æquales dividantur, prævaleat illa, cui Præsides adhæreat. In cæteris vero electionibus, quas per vota secreta fieri debere stabilitum manet, serventur ea, quæ pro casibus devolutionis in suis propriis locis sancita reliquimus.

17. Conclufis tandem, quæ in Diffinitorio decreta, & peracta fuerint, nemo Vocalium si forsan aliquos de ordinatione aliqua, vel actu turbatos inveniatur, se ita in illis excuset, (etiam si non consenserit) ut Socios suos calumniatur, aut prodatur, Auctoresque fuisse manifestet eorum, de quibus turbatio, querimoniaque processerit. Unde super hoc prædictis Diffinitoribus, ut universis aliis prædictum Diffinitorium Provinciale constituentibus in virtute Spiritus Sancti, & sub excommunicationis Sententiæ præcipimus, ut nullus ea, quæ in Diffinitorio versantur alicui detegat, aut foras quomodolibet effundat, ne insuper alii Fratres (sub eisdem censura, & præcepto) ea, quæ in Capitulo geruntur Sæcularibus aperiant.

CAPUT XVIII.

*De ultima die Capituli Provincialis, formaque
absolutionis in illo servanda.*

1. Capitulum Provinciale, quamcunq; de-

siderantes

siderantes finire, illud in feriam tertiam, vel quartam post Sabbatum electionis iuxta Provinciarum consuetudinem tantummodo prorogari permittimus ne Provincia gravetur sumptibus, quibus diebus ea omnia, quæ Cap. præcedenti Diffinitorio agenda præscripsimus, ita Præses pro rerum, & temporis opportunitate digerat, ut nihil intactum relinquatur. Postremo vero die Præses, congregato Capitulo, brevem spiritua-lem, devotamque habeat orationem; qua Prælatos electos ad suum munus recte, & fideliter exequendum graviter instruat. Deinde a Secretario Capituli legantur coram omnibus cuncta acta ipsius, cum Decretis, & Statutis, pro majori reformatione Provinciæ a Diffinitorio editis. Uterius etiam publicetur dictum S. Inquisitionis iuxta præceptum ejusdem.

2. Iis peractis ad absolutionem procedatur forma sequenti. Præses Capituli Confessionem dici jubeat, quam Fratres flexis genibus, & in faciem parum inclinati, recitent, eaque finita dicat Præses: *Misereatur vestri &c.*, & statim subjungat: *Ego auctoritate Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & auctoritate mihi commissa absolvo vos, & omnes Fratres nostro regimini commissos ab omni vinculo excommunicationis, & suspensionis, & pariter dispensationem indulgeo super quacumque irregularitate (si forsitan quis indigeat) atque etiam remissionem ab omnibus transgressionibus, excessibus, seu omissionibus Regule, & nostrarum Constitutionum quantum ego possum, & quod non possum suppleat, & perficiat summus, & omnipotens Sacerdos, & Pontifex Dominus noster Jesus Christus, & injungo vobis in penitentiam, & remissionem omnium peccatorum, quidquid boni feceritis, & specialiter jugum obedientiæ, & regularis observantiæ disciplinam. Neque intendimus absolvere perditionis, & iniquitatis filios, scilicet proprietarios, & Apostatas, sed per viscera misericordiæ Dei nostri eos primo, secundo, & tertio monemus, ut Profugi, & Apostata humili corde revertantur ad sinum suæ professionis, & Ordinis; Proprietarii vero, & honorum temporalium cupidi, & amatores ad sui voti, & veram professionis inopiam redeant, & respiciant, alioquin eos ex nunc in scriptis denuo excommunicationis sententiæ innodamus, idque declaramus: & quia qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit, auctoritate Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti benedicimus in Christo charissimos fratres, tam absentes, quam presentes, quantum possumus, & quod fragilitas nostra non obtinet, suppleat, & perficiat Dominus noster Jesus-Christus sua larga benedictione, qui sit vobiscum in itinere vestro, & ad Domos vestras sanos, incolumesque reducat. Qui vivit, & regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.*

3. Tunc surgentibus Fratribus cantor incipiat Hymnum *Te Deum*, quem alternis versibus canentes procedant omnes ad Ecclesiam, ubi eo finito dicat Præses:

- ✠. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.
- ℞. A Templo Sancto tuo, quod est in Hierusalem.
- ✠. Domine exaudi orationem meam.
- ℞. Et clamor meus ad te veniat.
- ✠. Dominus vobiscum.
- ℞. Et cum spiritu tuo.

O R E M U S.

Actiones nostras quæsumus Domine aspirando præveni, & adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio, & operatio a te semper incipiat, & per te cepta finiatur. Per Christum &c.

- ✠. Adjutorium nostrum in Nomine Domini.
- ℞. Qui fecit cælum, & terram.

4. Postea suo ordine manus Præsidis osculentur, & sic absolvitur Capitulum, eoque absoluto Præses specialiter congregabit Diffinitorium

Provinciale in quo legantur literæ ad Diffinitorium, vel Capitulum missæ, initioque non recitata, quibus prudenter, & consulto respondeant.

5. Præcipimus tandem, ut ubicumque Capitulum Provinciale celebretur, cui Magister Ordinis non adfuerit, teneatur Præses illius ab isto, vel Constitutione nostra designatus omnium ejus actuum, nullo excepto, fidele transumptum de verbo ad verbum authentice conscribi facere in forma secundi Originalis, ab iisdemque a quibus primum similiter subscriptum remittere ad Magistrum, ut de illius valore, ac ritu plenius decernat, & judicet.

C A P U T XIX.

De Officio, & potestate Provincialis, ac de ejus Secretariæ institutione, & munere.

1. Provincialis, quam primum canonice fuerit electus utatur officio suo sub titulo, & nomine Provincialis electi ante confirmationem a Magistro, eamque obtentam universæ Provinciæ denunciet, & deinceps titulum habeat Provincialis, cui omnes, & singuli Fratres Provinciæ, tam in spiritualibus, quam in temporalibus obedire teneantur.

2. Sub præcepto formali obedientiæ, pœnifque ad arbitrium Magistri Generalis imponendis præcipimus, ut nemo Provincialis, quamvis sit Magister possit assumere titulum sibi Magistri Provincialis, nec illo uti in subscriptionibus literarum officii, sed id solum præstare valeat Generalis Magister.

3. Provincialis in tota sua Provincia eandem potestatem habeat in omnibus, & singulis, qua gaudent Commendatores in suis Conventibus, eam tamen nunquam de plenitudine exerceat, nec addat suo muneri, nisi negligentiae defectusque Commendatorum id postulent atque urgeat causa legitima.

4. In triennio sui officii omnia, & singula Monasteria suæ Provinciæ per se, vel si non poterit per idoneos Visitatores bis visitare teneatur, & omnibus tamquam verus Pater, tam in spiritualibus, quam temporalibus discreto regimine provideat, & simul studeat singulas, si valeat, oves sibi traditas, agnoscere.

5. Extra actualem visitationem poterit Fratres a Domo in Domum transferre, vel ipsis licentiam perentibus, vel prout necessitas Domorum, ratioque regiminis postulaverit. Diligenter tamen attendat, ut semper id fiat absque nota scandalis, & denigratione Ordinis, & Fratrum, quod potissime in ipsius visitationibus observabit, in quibus, nisi causa mutationis palam, publiceque perurgeat, non debet esse festinus, sed eam prudenter differat tantisper, donec in Fratris famam suspicio non pateat.

6. Licentias in albis nunquam Fratribus largiatur, aut eas Commendatoribus relinquat, quas autem illis miserit pro mutandis Fratribus nisi intra dies quindecim intimentur, nullum deinceps habere valorem patimur, si denuo a Provinciali, seu a Visitatore non reproducantur.

7. Super his autem ita fit Provincialis discretus, & prudens, ut Fratres periculosos, aut discolos semper a Conventibus parvis removeat, eosque transferat ubi melius custodiri possint, & communi exemplo observantiæ regularis in meliorem frugem induci. Reliquos vero inspectis semper eorum qualitatibus in Provinciæ Domos distribuatur, prout major fructus, solatiumque Domorum, ac Fratrum exegerit. Cum autem transferuntur de loco in locum, curare debet, ut a Commendatore a quo recedunt Viaticum inviolabiliter accipiant secundum viam, & itineris longitudinem.

8. Cum Provincialis Conventum aliquem visitandum ingrediatur, statim licentias Confessiones audiendi Confessarius non graduatis de iustitia suspendat, donec novo examine approbentur. De omnibus tamen caveat, ne quando per desidiam, aut negligentiam a sufficienti pericia muneris excidant, & quoscumque noverit, vel suspicetur inhabiles, aut in disciplina moralis Theologiæ remissos, eos proprio per se iudicio, & examini, cum discretione subiciat, quos autem insufficientes invenerit a munere subito avertat, nec amplius illud eos exercere permittat, quousque peritiores appareant sciens de omnibus illis, ac de erroribus ex eorum ineptia derivatis assertionem Domino redditurum.

9. Circa Provinciam, & Domos debet divisiones, si quæ sint pro viribus interimere, eas, & earum partes ad unitatem concordiamque dicendo, querelas etiam, & lites, si quæ inter Conventus orientur super eorum negotiis, quam citius terminare, & extinguere. Conventus novos, qui evidenter reputentur utiles procurare. Acta Capitulum, literasque Magistri, quæ ad reformationem expedita fuerint, ibique per Conventus scribi facere, & legi. In absolvendis Commendatoribus, qui boni reputantur non debet esse facilis, neque propter eorum instantiam, fratrumve importunitatem, eos amoveat quin potius foveat, & erigat, eisdemque infensos comprimat, ac deterreat. Poterit autem Commendatores ab una in aliam Commendam transferre, cum id Religionis commodo expedire judicaverit.

10. Ulterius ipsi præcipimus, ut intra duos menses, ante celebrationem Capituli Provincialis Commendatores sua commenda privare nequeat, licet eos valeat ab illa suspendere usque ad dictum Capitulum. Quo circa diligenter servare debet, quæ superius in Cap. 14. hujus Dist. ordinata reliquimus causas omnes processus, & informationes in triennio suo formatas suo debet successori tradere, quæ nullomodo comburi, aut disperdi patimur, nisi eorum sint fratrum, qui jam a vita decesserint.

11. Pro sumptibus, & vestitiis ad suum munus atinentibus singulis annis, eam a sua Provincia taxationem suscipiat, quæ fuerit in usu a Capitulis Provincialibus comprobata, nec ulterius quidquam exigere constituimus. Si quæ autem expensæ speciales occurrant proportione servata, ex Provinciæ Domibus colligendæ non prius eas taxet, quam consular Diffinitorium Provinciæ, ut quid cuique Domui respondeat juxta earum mensuram rationabili computatione deducat, taxationemque jam factam Magistro remittat, ejusve personam gerentibus in remotis Provinciis, quibus annuentibus, taxasque prædictas approbantibus, & non aliter ad earum exactiorem deveniat sub pœna privationis vocis passivæ, aliisque ad arbitrium Diffinitorii Capituli imponendis in proximo futuro Capitulo. Cum autem per Monasteria transferat caveat, ne illa superfluis sumptibus gravet, sed moderata hospitalitate sit contentus ubique, nequæ Domos adjuvare tenetur, earumque subsidio consulere, illas diruat impendiis.

12. In expensis Capituli Provincialis ita sit moderatus, & sobrius, ut gloriam lati cordis pretio Domorum pauperum non emat. Sit ergo ministratio victus, qua regularem modestiam deceat, quod ut in posterum certa lege observetur, communibus obsoniis alia tantum duo moderata, & qualitate similia superaddi permitimus sub eadem pœna prædicta, & quod insuper pro his excessibus nequeat augmentum mensæ Capitularis exigere.

13. Quam primum electus fuerit Provincialis in munereque susceptus sibi debet Secretarium deligere, quem non patimur ab alio no-

minari, illi tamen consulimus, ut ad tale munus Fratrem semper instituat, qui sit in consilio maturus, in secreto fidelis, in Epistolarum arte disertus, & in zelo regularis observantia sibi omnino conformis, isque in manibus Provincialis priusquam suum exequatur ministerium præstet juramentum eadem forma, qua supra Cap. 12. hujus Dist. stabilivimus.

14. Secretarii interest librum Provinciæ regere, & in eo Diffinitorio, eorumque electiones, & acta, notare, visitationes pariter ab ipso Provinciali factas ab initio usque ad finem in Conventuum libros diligenter authenticæque referre, alias vero Visitatoribus commissas cura pervigili custodire, querulos interdum de Provinciali Fratres debet in tranquillitatem, & bonum de illo sensum inducere, itaut inter eorum, & Provincialis partes, semper discretum mediatorem exhibeat, si graduatus non fuerit infra Procuratores Generales vocem in Capitulis habentes, primus ubique sedeat, dum actu munus obierit. Quo item tempore, & intra Provinciam constitutus solius Provincialis obedientiæ subiaceat, neque in Commendatorem assumi valeat.

15. Provincialis tandem in fine sui muneris omnium, quæ in toto illius decursu receperit, tam pro suis expensis, quam aliis quibusque, quovis titulo, ratione, vel causa ad suum officium pertinentibus rationem reddat in Diffinitorio Capituli.

16. Circa immunitates eorum qui fuerint Provinciales, ordinamus, ut Socium habeant, nullis Conventus oneribus impeditum qui in omnibus eos adjuvet, prout necesse habuerint omnes Missa pro sua intentione celebrare possunt, communis refectionis quantitas, & mensura sit illis ubique dupla, & in reliquis Magistrorum immunitatibus persuantur. Qui vero exemptiones hujusmodi non harum vi Constitutionum, sed a Superioribus, vel tribus etiam Capitulis Generalibus indultas obtineant illis gaudeant excepto loco, Paternitate reverenda, & mensura duplici victus, quæ nemini ulla unquam ratione concedi posse decernimus.

CAPUT XX.

De Successione in Vicarium Provinciale, & potestate illius.

1. Cum sæpissime, multisque de causis Vicarium Provinciale oporteat institui, opere pretium est omnes casus hujusmodi successione exponere, & ordinare, & quam ubique potestatem habeat, qui eam obtinere contingat. Quo circa duo genera Generalis Vicarii Provincialis agnoscimus, alium in Capite, & alium substitutum. Primum autem semper Fratres intelligant, qui non habet supra se Provinciale, sed sit Provinciæ caput, ex defectu principalis creatum. Vicarium vero substitutum existiment, qui secundum jura harum Constitutionum illius loco statuatur.

2. Declaramus autem illum appellari debere Provinciale absolute, nullaque ratione Vicarium, qui per veram, & canonicam electionem sit a Capitulo electus, jure devolutionis a Magistro. Provincialis electus, vel confirmatus, quocumque tempore extra Capitulum renunciaverit, nullatenus poterit Vicarium Provinciale sibi substituere, sed in regimine succedat Commendator Domus Capitularis a Provinciali Capitulo designatus, vel illo legitime impedito dignior ex Diffinitoribus Provinciæ, modo sit graduatus, alioquin transeat successio ad digniorem graduatam Provinciæ, quam sane ratam esse statuimus, donec confirmetur a Magistro, aut alium Vicarium Provinciale pro libito eligat si maluerit, similiter graduatam cui soli

hanc potestatem in hoc casu, ubicumque non fuerit limitata concedimus, neque ullus ille Vicarius Generalis, etiam totius Ordinis aliquando gaudere presumat.

3. Prædictam autem conditionem graduati ita semper in omni nominatione, & successione observari præcipimus, siue electio Vicarii Provincialis fiat a Magistro, vel Provinciali, aut alio quocumque, siue jure constitutionis eveniat semper in graduatum incidat, & secus facta sit irrita juxta Capituli Generalis Opatensis Decretum a SS. D. Nostro Innocentio XI. confirmatum.

4. Eiusdem Capituli aliud Decretum a prædicto similiter Innocentio confirmatum observari subjungimus, ut videlicet Provincialatu quovis modo vacante nullus Provincialis absolutus, aut qui Vicarius Provincialis in capite per duos annos aut amplius extiterit, possit immediate Vicarius Provincialis in capite a quocumque constitui, nisi duobus trienniis a Provincialatu, vel Vicariatu decursis.

5. Insuper si Provincialis extra Capitulum versetur in mortis periculo potest Vicarium Provinciale sub literis, & authentico testimonio relinquere, qui si succedat in omnibus suis Juribus, usque ad finem trienni, & nequeat ab aliquo revocari, nisi prævia causa delicti. Tunc autem Magister Generalis poterit (si velit) illius Vicariatu durante Vicarium Generalem in illa Provincia instituire. Quod si Provincialis absque præfata nominatione decesserit succedat, ut a S. Constitutione postularis, etiam si alioquin habeat Vicarium Provinciale, jam antea quomodolibet subrogatum, quem nullo modo in hoc casu succedere patimur, nisi fuerit a Provinciali specialiter nominatus, ut ei succedat post obitum.

6. Quantum vero ad impedimenta, & casus, quibus extra mortis articulum necesse ducimus Vicarium Provinciale institui, decernimus, ut quotiescumque Provinciale, ab officio suspensionis Vicarium Provinciale ad illum ipsum, qui eum suspenderit attineat. Si autem Provincialis, qualibet ex causa sit omnino impeditus ad gubernium Provinciae, tunc necessario debeat Vicarium Provinciale substituere, qui ei succedat irrevocabiler in omni jure ipsius, atque etiam in suffragio Capituli Generalis. Quod si accidat omnino ad regimen impediri tempore convocationis ad præfatum Capitulum, tunc Vicarius Provincialis ab eo nominatus in dicto Capitulo suffragari nequeat, sed ad suffragium hujusmodi præstandum succedat semper, ut prædiximus Commendator Domus Capitularis, aut alius de reliquis suo ordine a Constitutione vocatis. Qui quidem pariter a nemine revocari valeat, atque in prædicto Capitulo generali universisque ejus actibus, & Diffinitoriis semper eandem vocem electivam, & decisivam una cum loco possideat, ac ipse Provincialis, si adesset, vereque reputetur in tali Capitulo tanquam ejus Provinciae Vicarius Provincialis etiam si solo titulo suffragandi convenerit, hoc ipsum ei quoque concedimus etiam si Provincialis non sit omnino impeditus ad gubernium, sed ad iter agendum ad dictum Generale Capitulum, causa infirmitatis, Medicorum judicio comprobata. Similiter si Provincialis egressi debeat extra Provinciam, Vicarium Provinciale usque dum revertatur instituat.

7. Caveat autem Magister Generalis ne vivente Provinciali, & expedito regimine, aut etiam per se substituente in casibus jam præfatis, & debitis alium Vicarium illi substituatur, nisi tantum eum de jure, & ex causa illum ab officio suspendentem, vel deposuerit; in iis enim casibus poterit quidem providere de Vicario, qui curam habeat

Provinciae usque ad solutionem suspensionis Provincialis, vel futuram ejus electionem in Capitulo.

8. Licet Provincialis (ut præmissum est) in mortis instanti nominare possit Vicarium Provinciale post obitum, in hoc tamen jure non succedat Vicarius Provincialis, etiam in Capite, sed casu quo ipse Vicarius moriatur, succedat nominatus in renunciatione Provincialis juxta formam in hoc capite num. 6. præfixam; in casibus autem quibus dictum Vicarium impediri, suspendi, deponi, vel renunciare contigerit, itaut substitutione sit opus, serventur omnia, quæ in similibus de Provinciali prædiximus.

9. Neque insuper succedit præfatus Vicarius Provincialis in omnimoda potestate, ad privandum, seu amovendum Commendatores a suis officiis in postremo anno trienni; hoc enim tempore nulla ratione patimur posse eos deponere, aut privare, bene vero suspendere, aut de Domo in Domum transferre, prout sibi visum fuerit expedire. Quod si Commendator aliquis in ultimo præfato anno causam privationis perpetraverit, hæc reservanda est Capitulo Provinciali, ibique discutenda, & judicanda legitime. Si vero Commendatorem sola suspensione corripit, poterit nominare Præsidentem sui Conventus sine voce tamen ad Capitulum, qua dictum Commendatorem nolumus destituere, nisi aliunde in regulatione vocalium veniat destituendus legitime.

10. Si Vicarius Provincialis quomodolibet institutus vocem aliunde habeat in Capitulo generali, vel sit Diffinitor Provinciae, eligatur semper alius loco illius toto tempore quo fuerit Vicarius Provincialis, ita scilicet, ut tam in Capitulo generali, quam Diffinitorio Provinciae, (si accidat celebrari) nunquam deficere possit numerus completus Diffinitorum, aut Vocalium.

11. Circa Immunitates, & privilegia eorum, qui fuerint Vicarii Provinciales firmiter constitutum, ut peracto officio non maneat cum honoribus, & gratis Ex-provincialibus debitis, nisi Vicarii Provinciales in capite extiterint, idque per duos annos completos obierint: circalocum vero serventur, quæ inferius de ordine sedendi constituimus.

12. Tandem, ut omnia de substitutione Provincialis declarata relinquamus, præfati Constitutione decernimus, ut si aliqua Provincia ultra mare posita, aut regione longinqua, & a præcipuo illius corpore valde segregata unum, aut plures Conventus obtineat, & eos per se Provincialis visitare decernat, nunquam id faciat nisi in altera parte Provinciae, quam deserit, alium substitutum etiam de graduatis relinquat, nec major, aut præcipua portio Provinciae maneat Præsidente destituta. Quod si Conventus ultra mare constituti, aut in alia regione, vel regno nimis longe distiti, ita sint plures, ut ad rectam eorum gubernationem substituto indigeant, illum posse nominare Provinciali concedimus, ne pro sæpe emergentibus, & extemporaneis hæc illis moderatio deficiat, hos autem substitutos, quia solum sunt auxiliares Provincialis, non Vicarios Provinciales, sed Commissarios, ut præmissum est, appellari præcipimus.

CAPUT XXI.

De Diffinitorio Provinciali extra Capitulum, & Diffinitorum Provinciae officio, & potestate.

1. Diffinitorium Provinciale extra Capitulum ex Provinciali tantum, seu Vicario Provinciali, & ex illis, qui fuerint Generales, si Provinciae adesse contingat, & ex Diffinitoribus Provinciae, præfente ejus Secretario ad effectum

CAPUT XXII.

*De Diffinitorum, & Electorum Generalium
potestate, & officio.*

tantummodo præstandi fidem de agendis, vel alii Fratres ad hoc munus a Præside nominati constitui decernimus, & declaramus, ita tamen ut si Magister Generalis intra Provinciæ terminos inveniatur, & illud ingredi voluerit convocandi potestatem, præfidentiam, ac vocem, tam electivam, quam decisivam in eo habeat, absente, vel si adfuerit convocare nolente, maneat convocandi facultas penes Provinciale, vel ejus Vicarium: huic Diffinitorio sic constituto plenam potestatem concedimus ad ea omnia, quæ juxta hujusmodi Constitutiones ad Diffinitorium extra Capitulum pertinent, decernentes, & declarantes ad illud privative spectare electiones Diffinitorum, & Electorum Generalium, ac Diffinitorum Provinciæ, qui quomodolibet fuerint instituendi finito Capitulo Provinciali.

2. Si ergo extra Capitulum aliqua de Diffinitionibus Provinciæ quovis modo vacaverit, convocato solemniter Diffinitorio Provinciæ ab ejus Provinciali, seu Magistro, si adsit Provinciæ, ipsique placuerit, novus eligatur Diffinitor pro eo, qui vacaverit: quod similiter observandum est, si aliquis Diffinitor Provinciæ ab illa fuerit absens, congregarique Diffinitorium urgens expediat, tunc enim pro ejusmodi functione licebit alium Diffinitorem loco absentis eligere, qui statim expirabit, cum res jam peracta fuerit, neque ullis postea exemptionibus perfruatur.

3. Si quis vero Diffinitor, aut Elector Generalis transacto jam Capitulo renuntiare, aut obire contingat, vel si instante celebratione Capituli Generalis, aliquo Juris impedimento, aut alia qualibet causa fuerit præpeditus, poterit Provincialis, vel Vicarius Provincialis, atque etiam Magister si Provinciæ adsit, nullus tamen alius quicumque sit, Diffinitorium congregare, & cum eo novum Electorem, aut Diffinitorem per vota secreta eligere, & substituere, etiam si legitime impeditus suum titulum renunciare voluerit, absque tamen præjudicio Juris ejusdem, si forte impedimentum cessaverit, intervenieritque Capitulo. Quicumque vero in Electoris, aut Diffinitoris locum subrogetur ad tempus ratione impedimenti functione jam peracta cessabit, & vivente, seu perseverante principali, nulla muneris privilegia retineat, præterquam in ipso Diffinitorio, & Capitulo.

4. In dictis electionibus, & quibusdam aliis, a prædicto Diffinitorio faciendis jura hujus nostræ Constitutionis observari præcipimus, secundum ea, quæ de aliis electionibus sæpe decrevimus, ut rite, & canonice fiant, in quibus si Diffinitorii suffragia intra tres dies a prima electionis inclusive non convenerint, jus eligendi devolvatur in Præsidem; in reliquis vero a Diffinitorio deliberandis, si in partes æquales suffragia dividantur, prævaleat illa cui Præses adhareat.

5. Ad Diffinitorium Provinciæ pertinet commune bonum Provinciæ pro viribus procurare, audire negotia Fratrum, eorum literas, vel libellos supplices ad Diffinitores directos suscipere, & Diffinitorio opportuno tempore præsentare, vel Secretario Capituli per eum præsentanda committere. Cavendum est autem eis ne aliquid pro Fratre faciant, aut in Diffinitorio proponant, & judicent, quod vel vindictam in alium, aut privatam amorem sapiat, sed jus tantum, & æquitatem.

6. Diffinitores tandem hujusmodi dum in officio permaneant omnibus exemptionibus, gratiis, & Privilegiis Magistrorum de numero gaudere decernimus, si forte Magistros non esse contigerit. Quantum vero ad locum, illum ordinem teneant, quem Diss. sequenti Cap. de ordine sedendi statuimus.

1. Proprium Diffinitorii Generalis munus est majus Ordinis bonum pro viribus satagere, ad quod cum electus fuerit postulet a Diffinitorio, & ejus Præsidi hunc sibi laborem in remissionem peccatorum injungi, & sic officium cum humilitate suscipiat, pro eo autem semper, & ubique legitime exercendo instrui debet patentibus literis a Diffinitorio Provinciali omni juris auctoritate suffultis.

2. Cum ergo Diffinitorium Ordinis, ac supremam ejus censuram, potestatemque constituat, nunquam se agere debet, ut personam privatam, sed ut publicam, & regulari observantiæ sedulo intentam. Unde cum ad Capitulum, vel alio procedens ad Conventus Ordinis declinaverit, ita se debet parce, & moderate gerere ut Fratres apud quos diversatur in hoc potius ædificet, habereque possit, audacium in Capitulo ad corrigendos excessus, sumptusque inordinatos aliorum; sit etiam ubique inter Fratres, & extraneos in vigiliis, & sobrietate strenuus, in silentio, & oratione assiduus, in omni honestate, atque observantiæ regulari fervidus, & ita in verbis, & actibus, bonum de se proferat exemplum, ut evidenter appareat, quod non immerito ad tantum Ordinis fastigium sit assumptus.

3. Factus jam Diffinitor debet diligenter evolvere acta præcedentis Capituli, & cum omni consilio, curaque perspicere, an illa expediat confirmari, vel imo destitui, aliave recentia conditi, quibus bonum Ordinis, & observantiæ regularis vergat in melius.

4. Circa officium Electoris Magistri, eadem illi consulimus, quæ de Diffinitore prædiximus, ut videlicet munus suscipiat humiliter in veniam suorum peccatorum, nec non literas testimoniales vocis sibi collatæ a Diffinitorio Provinciali recipiat, & secum ad Capitulum deferat.

5. Quantum vero ad Electionem, tam ipsis Electoribus, quam Diffinitoribus, atque etiam alteri cuicumque vocem electivam habenti subjungimus, ut a tempore sui suscepti muneris Deum orare non desinat, & secundum ejus voluntatem, atque Ordinis utilitatem, tam ipsi, quam alii dirigantur. Cum autem Fratres invenerint discretos, Deum timentes, rerumque, & personarum Ordinis conficius debet cum ipsis conferre libenter, ut per illos de iis, quæ a se agenda sunt plenius informetur. Cavendum est autem ei, ne propter auditum, & famam leviter volitantem ad eligendum aliquem inclinetur, nisi prius digniori fide nuper comparata, circa personæ meritum instruat. Nec unquam sic aliquis suæ menti insideat, ut si alius postea melior appareat non sit paratus ad vocem in eum transferendam.

6. Ita silenter electionis acta apud se retineat ut nihil penitus de illis aperiat, neque prodant Fratres, qui hunc elegerunt, aut illi adversati sunt, & similia, quæ possunt turbationem inducere. Potissimum vero debet esse cautus, ut in tractatibus ante electionem faciendis ab Electoribus circa personam eligendi sua semper conscientia provideat propter occasiones interdum inde subortas denigrandi famam multorum. Unde super hoc Decreta Urbani VIII. de hujusmodi tractatibus non prohibendis omnino reverentes, tantum ut fiant secundum Deum sine laesione famæ, & cum zelo, & charitate consulimus.

7. Diffinitores, & Electores Generales ita desideramus auctoritate præcellere, ut vix hujusmodi munera non nisi gravioribus dignioribusque Ordinis Fratribus conferantur. Quod si

Diffinitor aliquando non Magister, vel etiam elector raro non graduatus extiterit, uterque tamen dum munus sustineat Magistrorum de numero favoribus, & immunitatibus gaudeat, excepto suffragio Capituli Provincialis, quod neuter assequitur ratione officii, nisi illud aliunde possideat. Quantum vero ad locum, & præcedentiam, eam utique retineat quæ Dist. sequenti cap. de ordine sedendi stabilitur.

CAPUT XXIII.

De officio, & potestate Commendatorum.

1. Quicumque ad officium Commendatoris in Ordine nostro fuerit eligendus intra Capitulum debet a Diffinitorio constitui ut supra Cap. 16. hujus distincti. stabilivimus. Extra Capitulum vero si quovis modo Commendam vacare contigerit solus Provincialis, seu Vicarius Provincialis in capite per se ipsum sine Diffinitorio Commendatorem instituet. Si tamen Magister Ordinis Provincie in qua Commenda vacaverit præsens fuerit, poterit etiam pro libito Commendatorem eligere, modo non sit præventus a Provinciali prædicto. Hujusmodi autem Commendator sic denuo creatus ab altero prædictorum eodem jure, & potestate gaudeat in omnibus, ac si fuisset electus in Diffinitorio Capituli.

2. Ubicumque sit eligendus Commendator, vir semper debet esse, qui Monasterio videatur utilior, & ad domesticum regimen, regularisque vitæ cultum, zelo, industriaque præstantior & cum qualitatibus cap. 14. hujus dist. ordinatis. Si de aliena vero professione ad nostrum Ordinem qui quovismodo transierit, nequeat fieri Commendator, nisi post decem annos a nostra professione completos.

3. Nullus, qui fuerit Commendator alicujus domus, sive intra, sive extra Capitulum electus possit in ea, per duo immediata triennia succedere, nisi forte aliqua notabilis fabrica ab ipso ibi incepta sic exigat, secluso enim hoc casu prædictam electionem intra, vel extra Capitulum nulla ratione permittimus, & si secus fiat, sit profecto inanis, & irrita. Nullus etiam Diffinitor Capituli Provincialis potest Commendator, aut Præses in capite institui, quod si fiat, maneat Diffinitione privatus, atque alius eligatur pro illo.

4. Quicumque vero creatur Commendator, debet instrui publicis, & patentibus literis, quas nunquam iter agendo relinquat. In Conventibus autem habeat sigillum parvum, cum scuto Ordinis, quo utatur in publicis instrumentis, quæ ad ejus officium expedire pertineat.

5. Vicarium, & officiales domus (exceptis depositariis, Novitiorumque Magistro) confirmare poterit, aut mutare. Procuratorem autem, aut Procuratores Conventuales, tam pro Redemptione, quam domo si revocare voluerit, novosque instituire, id semper fiat de consensu Capituli Conventualis a quo debent suscipere juridice procuracionem, & titulum.

6. Cunctis Fratribus quoad spiritualia semper ut bonus Pastor invigilet, eosque in temporalibus pascat, singulisque de omnibus provideat, maxime vero ægrotantibus in re nulla deficiat, quæ ad eorum recreationem, & salutem assequendam Medici judicio conducat, ut jam supra Dist. 3. cap. 23. præcipimus; senibus autem, & jam ætate gravatis, atque impeditis ea indulgere studeat, quæ inferius Dist. sequenti cap. constituvimus. Infra ambitum triennii universis suis Conventualibus vestiarum præstare teneatur prout superius abunde ordinatur Dist. 4. cap. 4. de vestitu.

7. Sine Magistri Generalis, aut Provincialis licentia in scriptis ædificationes, neque incipiat, neque profectur, neque insuper sine dicta licen-

tia quidquam sui Conventus quolibet prætextu, aut colore diruat sub pœna privationis officii, & vocis activæ, & passivæ ad sexennium.

8. Choro semper intersit ad omnes horas officii, quavis occupatione posthabita, ut aliis fiat exemplum quo, & verbis interdum eos ad Dei laudes sine intermissione alliciat; refectorium quoque die, noctuque non deserat, quantum sui muneris patiat angustia: Quod si crebro non intersit his actibus, ab officio, & Commenda deponatur, ut superius Dist. 3. cap. 9. manet stabilitum.

9. A sua domo nunquam sit notabiliter absens sine licentia Superiorum sub pœna privationis officii, neque recedat ab illa, nisi propter aliquam ejus utilitatem non modicam, quæ semper talis sit, ut non per alium, quam per se ipsum agi, & comparari valeat. Si rem vero peculiariter, sibi que propriam gerendam habuerit, quæ illum a suo Conventu proficisci compellat semel in suo triennio per 30. solum dies posse abesse concedimus. Dum tamen Conventus non solvat Viaticum & impendia itineris. Quod si pluribus, quam triginta diebus, aliave simili profectioe indigeat, licentiam exigat a Provinciali, qua instructus, & non aliter viam instituat.

10. Ex rationabili causa per quatuor dies suis subditis licentiam indulgere poterit; amplius autem omnino prohibemus sub pœna privationis officii. Quod si casus accidat ita extemporalis, & urgens, ut Provincialis arbitrium expectare nequeat, sitque in mora periculum, tunc Commendator, consultis Patribus a Concilio licentiam præstare possit, valeat, ac protinus Provincialem de facto certiores reddat.

11. Ut autem nullus Commendator sit negligens in bonis Conventus, & Redemptionis debita ratione tractandis, illis enixe præcipimus, ut diligenter, & accurate observare studeant, quæ circa eorum computa, & rationes, fidelemque custodiam, ac depositum inferius Dist. sequenti Cap. 11. de Depositis, & alibi forte præscripsimus.

12. Ipsi præterea subjungimus ut nullo modo Missarum stipes expendant, neque illas a communi deposito educant, nisi prius fuerit omnium eorum celebratio completa. Præter illas autem, quæ sunt de jure Constitutionis, unam relinquat liberam omnibus suis Presbyteris singulis Hebdomadibus, quam ipsis per totum Ordinem suæ intentioni concedimus, quas autem, præter istam, aliis Fratribus elargimur, ut in propriis jam Capitulis constituimus.

13. Cuilibet ulterius Commendatori præcipimus sub formali obedientia, & pœna privationis utriusque vocis per tres annos, ut nullo prætextu per se solum audeat expendere, vel recipere aliquid ad Monasterium pertinens non præsentibus depositariis, quorum absentia ad prædicta teneatur vocare aliquem ex senioribus Conventus. Quod ut inviolabilibus periodis impleatur, sub præfatis pœnis eidem injungimus, ut singulis septimanis indispensabiliter computa faciat, non quidem privatim, solique Procuratori associatus, sed publice, adstantibusque Depositariis, Sacrista, Dispensatore Conventus, ejusque Procuratore, atque etiam Procuratoribus Redemptionis, quotquot in ea domo resideant sono cimbali vocatis. Quos omnes hujusmodi computationibus necessario adesse compellimus.

14. Commendatores observare tenentur motum proprium Urbani VIII. circa bona Ecclesiæ non alienanda. Quod si quis contra facere præsumperit alienationes omnes, & singulas inanes ducimus præfentique constitutione irritas declaramus. Dissipatorem autem hujuscemodi bonorum Ordinis, qui talia perpetrare attentaverit, non tantum damnamus ad pœnam gravioris culpæ, sine relaxatione subeundam; verum, & omni cura, administratione, & Commenda Ordinis nostri ipso facto, hac nostra constitutione privamus.

15. Commendatores itaque quomodolibet constituti non possunt intra triennium per aliquem deponi, nisi dissipatores bonorum Ordinis reperi fuerint, vel publicum scandalum vel quavis altera privationis causa a nostris Constitutionibus designata processerit, ac de ipsis sint prius de jure convicti. In quo casu Magister Ordinis Provincialis, Vicarius Provincialis, aut Visitator eos deponere poterit, ea tamen conditione, ut semper id fiat a prædictis de consilio duorum Commendatorum, aut Diffinitorum Provinciae, seu ab uno Commendatore cum Diffinitore. Magister autem in suis respectivè casibus, prædictos Commendatores, aut Diffinitores adhibeat modo dicto ex personis ejus Provinciae, ubi repertus fuerit. Si tamen Provincialis, aut ejus Vicarius, seu Visitator aliter in præfata depositione processerit gravissimam correctionem subeat in Provinciali Capitulo. Cæterum absolutionem ab eis factam secus ac prædicatur, etsi revera culpabilem, non tamen invalidam ducimus, neque substitutionem aut novam Commendatoris electionem, ut inanem reputari declaramus, sed factam subsistere, ut urgentioribus incommodis occurramus.

16. Quod si Commendator aliquid commiserit quo in Constitutionibus nostris pœna suspensionis afficitur, illamve promereatur Superioris judicio; tunc Superior per se solum, absque prædictorum Prælatorum, seu Diffinitorum consilio, ac strepitu judiciali rejecto secundum sui ipsius prudentiam pro casibus emergentibus prædictam suspensionem, dummodo sex mensium spatium non excedat infligere possit.

17. Item ipsius interest in magnis solemnitatibus, absente Magistro, vel Provinciali Altaris officium assumere, sepelire Fratres, infirmis Sacramenta ministrare, aliaque similia peragere. Communibus actibus semper interfuit, Capitula, & collationes spirituales cum Fratribus habeat, unde eorum profectus, & morum cultura proveniat. Curam etiam habeat, ut mandata, & Ordinationes visitationum, & Capitulorum Generalium, & Provincialium debita observatione vigeant. Singularitates in cibo, vel epulationes superfluas omnino caveat.

18. In jejuniis, & abstinentiis nunquam toti Conventui dispensationes indulgeat, exceptis casibus a constitutione prævisis: officialium negligentias corrigat, ac de iis, quæ ab illis sunt facienda frequenter admoneat & instruat; caveat insuper, ne ipsis ratione officiorum, ea quæ sunt Ordinis negligentur, nisi quantum propter officium compellantur, vel de licentia rationabiliter eis permissum fuerit.

CAPUT XXIV.

De officio, & potestate Præsidis, & Vicarii.

1. Circa Præsides, qui in omni eventu possint, & debeant institui, ut Commendatoribus succedant, aut subrogentur, primo statuimus: ut nullus Commendator, qui domi sibi commissæ resideat, & eam per se gubernare valeat, qualibet ratione Præsidem sibi substituat. Quod si aliquando cum debita licentia peregre proficisci voluerit, vel alioquin mora futura sit diuturnior, ex suo Conventu unum Fratrem magis idoneum in Præsidem subrogare, usque ad adventum suum, nisi aliter Provinciali expedire videatur. Tandem nominationem facere poterit, cum processerit ad Capitulum Provinciale, & nominatus gubernabit usque ad personalem possessionem Commendatoris electi, nisi aliter etiam ipsi Provinciali videatur, cui super hoc semper facultatem hujusmodi nominationes reformandi concedimus.

2. Si vero Commendatoris obitus immineat, huic pariter potestatem tradimus ut opportune

ante decessum possit sibi Præsidem substituere, qui post illum teneat gubernium, donec Prælatus superior eidem Conventui aliter provideat de Commendatore, vel Præsede; quod si ita subito decedat, ut nominare non valeat, aut alias quomodocumque, sine nominatione propria, vel Prælati Superioris a munere deficiat. Tunc dignior in conventu ad ejusque regimen expeditus succedat in locum ipsius sub nomine Præsidis, donec Prælatus superior aliter ut supra provideat decernat.

3. Declaramus autem, quod si Commendator ad Capitulum Provinciale quomodolibet non accedat, maneat nihilominus in regimine sui Conventus, donec noviter electus de illo possessionem personalem accipiat, nisi aliter novus Provincialis, aut ejus Vicarius de Præsede constituitur.

4. Quo circa ut omnis ambigendi locus præcludatur Præsidem alios in capite, interinos alios nuncupamus. Præsidem in capite esse vere, & absolute Prælatus cum potestate omnimoda Prælati localis; primumque in universis Conventus actibus locum possidere declaramus. Illud vero dici, & esse Præsidem in capite intelligimus, & statuimus, qui a Prælato Superiori tanquam talis per speciales literas constituitur; qui tamen ab ipso, pro nutu poterit amoveri per novam electionem Commendatoris, sive alterius Præsidis; dummodo id non fiat intra duos menses ante Capitulum Provinciale, nec hoc tempore suffragia mutantur pro libito, sed serventur ea quæ superius in hac Dist. cap. 14. præmissimus.

5. Reliquos autem Præsides aliter a quocumque quomodolibet institutos, subrogatos, & interinos dicimus, sine nomine quidem, & sensu Prælati, inter quos, qui ab aliquo Prælato quomodocumque non stabiliter, sed ut interinus nominatus fuerit, eam potestatem habeat in utroque regimine, quam ipsi delegaverit, aut concesserit Prælatus instituens cum limitationibus tamen in his nostris Constitutionibus ordinatis.

6. Ille vero qui solo jure Constitutionis absque aliqua nominatione successerit ultra limitationes tam Commendatoribus, quam Præsidentibus in capite, & interinis jam aliunde hic, & alibi a prædicta Constitutione factas nequeat in Conventu quidquam immutare, neque etiam de arduis extemporaneis, urgentibusque decernere, quæ Superioris Prælati non valeant expectare consultum, & directionem, nisi de consensu directorum Patrum. In reliquis autem non limitatis omnibus, ubique Præsides usualem cursum ordinariæ potestatis directivæ, & coactivæ suscipiant in utroque regimine. Hic autem Præsides interinos si fuerit Vicarius in suo loco permaneat; secus autem sedeat immediate ante illum (quem sane tunc Vicariam permanere permittimus) nisi alioquin locum superiorem obtineat.

7. Constitutis Commendatoribus ad unumquemque pertinet quamprimum domum sibi creditam vera, & personali possessione obtinuerit, unum Fratrem in Vicarium eligere, virum utrique Religiosum, & prudentem, ac viribus omnino validum, qui ipsum adjuvet in omnibus sui muneris & non propterea nomen, aut sensum Prælati se habere præsumat. Hunc autem debet ipse Commendator instituere cujusmodi potestatem eum velit habere, sive in præsentia, sive in absentia sui, & non ultra se extendere. Declaramus tamen, quod etiam si paucos dies, aut brevem moram Commendator non longe sit absens, prædictus Vicarius sub hoc nomine vices ejus in omnibus gerat quantum ad ea, quæ ad domesticam gubernationem atinent in utroque regimine, ne vel ad horam Fratribus legalis moderatio, cum potestate directiva, & coactiva deficiat. Quæ vero Commendatoris adventum expectare valeant ab ipso quæ sunt illi

restricte,

restricte, vel aliunde hujusmodi Constitutionibus, tam Vicariis, quam Praesidibus inferius limitata nullo modo ab illo exequenda permittimus. In urgentibus autem nihil omnino decernat sine consilio, & assensu discretorum Patrum. Deficientibus in choro, aut resectorio Praelato Vicario, seu Praefide dignior Sacerdos ex parte hebdomadarii praesideat, necnon licentiam intrandi, & exeundi concedat.

8. Vicarius etiam de illis, quae utilia sunt Conventui sive spiritualia, sive corporalia pie apud Commendatorem debet intercedere, si quibus Fratribus gravamina faciat ipsi prudenter ostendere, quae autem per se corrigere valeat non ea importune Commendatori denuntiare, sed tantum illi graviora deferre. Quo ad locum vero Vicarius omnibus Praesentatis de numero perpetuo immediatus emineat. Duas Missas ultra communem Vicariis omnibus elargimur; quas pro sua possint intentione celebrare, & denique ab officio Chori, & Altaris sint absoluti, quandiu in munere existant.

CAPUT XXV.

De Dignitatibus sine licentia non recipiendis.

1. Cum Fratres (etiam extra ordinem) possint ad plura officia, beneficia, gradus, & dignitates diversimode promoveri, ut ea quidem cum merito, & Religiose suscipiant illis salubriter constituimus, ut nemo absque speciali licentia Magistri, aut Provincialis officium aliquod, gradum, beneficium, aut dignitatem assumat. Quod si secus fecerit praesenti Constitutione, suffragiis, & omnibus beneficiis spiritualibus Ordinis nostri privamus: Fratri etiam, qui in dignitate constitutus, vel quavis alia causa extra Ordinem vivens, Habitum & Instituta Ordinis non servaverit, suffragia Ordinis similiter interdiciamus.

2. Si quis autem hujusmodi beneficia, gradus, & dignitates, vel alioquin sine illis, aut rationabili causa vitam degere extra Ordinem favoribus procuraverit, eosque praesertim ab extraneis personis obtinuerit, poenae gravioris culpa ipso facto subiacet.

DISTINCTIO OCTAVA.

De statu, & regimine omnium Provincialium Ordinis, & domorum ejus.

Quia neque commune, neque particulare Provincialium, & domorum regimen, neque officia opportuna, & satis complecti potuimus, ea omnia in praesenti distinctione digerimus, ubi quaeque haecenus desiderata subdidimus.

CAPUT I.

De Communi Provincialium regimine.

1. Omnes Ordines Provinciae singulos habeant Provinciales, & quatuor Diffinitores illius, & pro Capitulis Generalibus duos Diffinitores Generales, & totidem electores, atque etiam pro singulis domibus proprios Praelatos locales, qui Commendatores appellantur, exceptis tantum ad regimen Collegiorum electis, quibus Rectorum nomen permittimus, & ad Barchinonensis Conventus gubernium destinato, quam Prioris nomen datur ob causas cap. 4. dist. sequenti assignandas inviolabiliter gaudere decernimus. Hi autem omnes eligantur ut in dist. Superiori praediximus. Quo circa declaramus ea omnia intelligenda esse de Provinciis veris, ac formatis, non autem de Congregationibus, aut Provinciis nominalibus, quae adhuc in veras Provincias erectae non sunt, has enim infra sub speciali regimine constituimus.

2. Circa numerum graduatorum, quos sin-

gulis Provinciis designavimus, similiter declaramus, quod omnis congregatio donec talis extiterit, & in veram Provinciam non erigatur nullam vim habeat ad graduatum aliquem postulandum; quae autem jam fuerit vera Provincia; ita Magistrorum, & Praesentatorum numeros in praedicta Dist. 6. praefixos, & conditiones ad eos ibidem appositas observari praecipimus, ut nulla excogitabili ratione praefata liceat statuta transcendere, quam ob rem taxatur Capitulis Provincialibus potestas exponendi atque etiam Magistro confirmandi gradus, sine conditionibus a Constitutione ordinatis; & si aliter conferantur, ipso facto sint irriti, etiam Provincia sit exigua, numerisque graduatorum cum statutis conditionibus non sufficiens.

3. Quod si in regionibus aliquibus, tractu temporis Ordinem propagari contingat, & fiat aliqua domorum aggregatio ab aliis Provinciis separata, quae non sit adhuc in veram Provinciam erecta, sed tantum Congregatio specialis, ut ea, quam Ordo possidet in regionibus Maragnonis Coronae Portugalliae, illam, quaecumque sit, si non habuerit aliunde specialem formam regiminis a Sede Apostolica indultam veluti congregatio Parisiensis, ita constitui, & gubernari praecipimus, ut ipsi videlicet Magister Ordinis, unum Commissarium Generalem praeficiat, cum ea facultate (ordinaria, aut delegata) sibi quae semper subiecta, quae visa fuerit expedire, juxta illius distantiam a se ipso.

4. Commendatorum autem electionem, ac reliquas cujuscumque Congregationis regimen spectantia, ita fieri constituimus, ut praedictus Commissarius Generalis de triennio in triennium per literas convocatorias congreget Capitulariter in Conventu a se designato omnes Commendatores, aut Praesides Duces Congregationis ad Sabbatum Dominicam in Cantate, nisi alia fuerit constituta dies: juxta qualitatem regionis, & in eorum Capitulari caeteri novi Commendatores eligantur pro triennio immediate sequenti per suffragia secreta omnium Vocalium; in quibus si post tria scrutinia praemoniti etiam in quarto non conveniant, in ipsum Commissarium devolvantur electiones, sicut, & in aliis per suffragia secreta ordinavimus, si qua vero statuenda videantur pro bono regimine Congregationis mature ab omnibus decernantur, & una cum electionibus praedictis totoque processu Capituli, & statu Congregationis mittantur authentice ad Magistrum, ut quae viderit confirmanda confirmet, & juxta sibi relata ipsam dirigat in meliusque promoveat.

5. In reliquis autem, quae praedictis non opponantur eam regere studeat praefatus Commissarius juxta Constitutiones nostras, potissime vero cultum literarum pro viribus instituat, & ad disciplinas artium, & Theologiae dignos Lectores postulet a Magistro, seu eligat ex suis Fratribus, quos idoneos habuerit servatis per omnia, quae Dist. 6. circa Institutionem Lectorum stabilita reliquimus, ut subsidio literarum in dies Congregatio procedat in melius, & viris, qui eam promoveant decoretur.

6. Quantum ad transitum de una Provincia in aliam statuimus, ut si hoc fiat per adoptionem Fratrum solus Magister Generalis, & nullus alius Praelatus, etiam Vicarius Generalis totius Ordinis eam concedere valeat, quandocumque autem a Magistro concedatur, semper consilium utriusque Provincialis a quo, & ad quem adhiberi praecipimus. Quod si transitus praedictus non sit ad permanentiam, sed ad tempus pro aliquo negotio gerendo, vel si alioquin Fratrem aliquem extra suam Provinciam transferre conveniat, non solum Magister, sed etiam Vicarii Generales in suis respective Provinciis illam poterunt ordinare, & praebere licentiam, sine praedicto Concilio.

7. Si quis autem Frater sine facultate, & authentico testimonio Magistri, aut alicujus Vicarii Generalis (intra sibi delegatam jurisdictionem) in aliam Provinciam quomodolibet transmigraverit; tamquam fugitivus tractetur a Provinciali, & Commendatoribus illius, & ad Provinciam suam Provinciam remittatur.

8. Eadem ratione statuimus, ut nullus Frater suam Provinciam deferens ad Romanam curiam, vel Regiam, aut Regale Prætorium quolibet prætextu se conferat, sine speciali mandato, aut licentia in scriptis Capituli Generalis, vel Magistri, nec similiter in terram Saracenorum transeat absque prædicta facultate, etiam in scriptis Magistri, vel Capituli Generalis, aut Provincialis, ut suo loco prædiximus. Qui autem secus attentaverit tanquam fugitivum in virtute Spiritus Sancti corripiendum esse præcipimus, & a Commendatore, qui cum sic indebite vagantem agnoverit in compedibus detinendum, Magistroque, vel ejus Provinciali denuntiandum, ut ab eo puniatur juxta qualitatem delicti.

9. Præterea omnibus Provinciis sit commune electionis Privilegium, earumque Capitula intra certum terminum præsentare Magistro pro confirmatione obtinenda, vel etiam Vicariis Generalibus ad eam facultatem habentibus. Si enim electio, & Capitulum Provinciale celebretur in Hispania, sine personali præsentia Magistri debet illi præsentari intra sexaginta dies, alioquin sit inanis, & irrita, atque in ipsum devoluta Magistrum, qui profecto illam confirmare tenetur si canonice fuerit celebrata, secundum jura, & Constitutiones hujusmodi, vel ejus defectum ostendere.

10. Provincias autem Gallie, & Italiae ad eandem præsentationem Magistro faciendam intra quatuor menses teneri decernimus, sub pena nullitatis, & devolutionis prædictæ, & eundem pariter Magistrum earum Capitula, & electiones debere confirmare, aut infirmare, ut prædicatur. Congregationem autem Parisiensem quantum ad suum Capitulum, & electionem Vicarii Generalis, eidem legi, & prædictæ confirmationi Magistri, & devolutioni subijcimus. Confirmationem vero Provincialis Indiarum, suis respectivè Vicariis Generalibus sub forma superiori Dist. Cap. 9. præscripta committimus.

11. Tandem universis, & singulis Provinciis duo sigilla conveniunt, quibus earum Provinciales in suis literis utantur, alterum parvum cum solo scuto, & stemmatibus Ordinis pro rebus exiguis, & communibus. Alterum vero magnum, cum eisdem stemmatibus in calce, & aliqua Imagine alicujus de festivitatibus B. Virginis Mariæ, vel earum defectu, alicujus de Sanctis Ordinis in ejus arca præcipua prout in Cap. sequenti ad unamquamque Provinciam designabimus, cujus quidem signaculum patentibus officiorum, aliisque literis ejusdem ponderis apponatur.

CAPUT II.

De singulis Provinciis specialibusque sigillis earum.

1. In Hispaniarum Regnis Castellæ, & Aragoniæ, ubi primum fundatus extitit Ordo noster, quatuor sunt Provinciæ, quarum prima est Aragoniæ constituta ex Conventibus ipsius Regni Aragonum, & Principatus Cathalonie, atque etiam Regni Navarrae, & Sardinie detractis Conventibus Tarraconæ, & Dertusæ ex Cathalonie, & Turoli, & Sarrion ex Aragonia, qui simul cum Domibus Regni Valentie Majoricæ, & Oran Provinciam Valentie constituent.

2. Regnum Castellæ dividitur in alias duas Provincias sub nominibus Castellæ, & Vandalie, quarum localis discussio fiat, & sit a flumi-

ne, quod dicitur Guadiana, a quo quidem loca omnia versus Vandalium sita Beticæ Provincie subiacent, quæ vero a prædicto flumine versus Castellam tendunt ad Provinciam Castellæ pertineant. Cum iis pariter quæ ad Gallicam, Cantabriamque, & Regnum Legionis attinent cum locis terrisque adjacentibus.

3. In Regno Lusitanie ex Monasteriis, quæ Ordo possidet in Maragnione apud Indiam Orientalem constituta est quædam Congregatio, & quasi Vice-Provincia sub uno Commissario Generali moderata, si qua vero alia in prædicta India erigantur ad eandem Congregationem, & Commissarii Generalis moderationem spectare decernimus; donec Domorum numerus ad formalem Provinciam, Provincialve erigendas sufficiat.

4. Deinde Regnum Gallie unam habet Provinciam, quæ Gallicæ nominatur, & unam Congregationem ab ea separatam, quæ Parisiensis dicitur. Ex Conventibus autem Romanie Regnorumque Neapolis, & Sicilie aliorumque locorum adjacentium Provincia una confurgit, quæ appellatur Italica.

5. Post Provincias Europæ sequuntur, quas Ordo habet in America, ubi primum incidimus in Provincia S. Dominici, & precedentibus per terrarum tractus versus occidentem occurrit Provincia de Mexico, & Guatamalæ, deinde Limensis, & Cuzcuana; post eas vero Chilenfis, & Tucumana, & postrema Guitensis. Quibus jam omnibus commune regimen superius ordinavimus, & propria quibusdam in sequentibus statuimus. Si quæ autem aliæ Domus, vel cæterus Fratrum Ordinis alibi per totum Orbem nunc, aut pro tempore extiterint, ut in Insula Hibernie directioni, & providentiæ Magistri subiacent.

6. Quantum attinet ad sigilla Provincie Aragoniæ habeat pro stemmate Imaginem Conceptionis Beatæ Virginis Mariæ Matris, ac Fundatricis nostræ, in cujus honorem fuit Ordo noster ab ipsa fundatus, & erectus in Civitate Barcinonæ, & illius puritatis signum candenti Habitu decoratus, in limbo autem præfati sigilli, sit versiculus iste: *Tota pulchra es amica mea.*

7. Sigillum vero Provincie Castellæ Imaginem Assumptionis ejusdem Beatæ Virginis contineat, cum hoc versiculo incisam: *Assumpta est Maria in Cælum:* Provincie Valentie Mysterium Purificationis ejusdem cum his verbis: *Lumen ad revelationem gentium.* Provincie Vandalicæ ejusdem præsentationem in templo cum hac inscriptione per gyrum: *Respexit Dominus humilitatem Ancille sue.* Provincie vero Gallie sit pro sigillo Nativitas cum hac litera: *Nativitas Gloriosæ Virginis Mariæ.* Italiaeque Provincie Visitatio cum hoc versu: *Benedicta tu inter Mulieres.*

8. Ulterius Provincie S. Dominici assumat Imaginem S. Petri Palchasi, sic inscriptum: *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Provincie Mexicana Desponsationem Beatæ Mariæ sub his verbis: *Cum esset desponsata Mater Jesu Maria Joseph.* Provincie Guatamalæ effigiem S. Raymundi Nonnati, cum hoc versu: *Suscepisti me de utero Matris meæ.* Provincie Limensis Imaginem S. P. N. Petri Nolasci cum litera: *Majorum charitatem nemo habet.* Provincie Cuzcuana, Divi Petri Armengaudi effigiem hoc versiculo insculptam: *Suspendium elegit anima mea.* Provincie Chilenfis habeat pro signaculo Patrocinium B. Mariæ, id est Imaginem ejus, filios sui Ordinis sub pallio protegentis; litera vero: *Beata es Maria Patrona, & Mater nostra.* Provincie Tucumana expectationem ejusdem, cum isto versiculo: *Expectans expectavi Dominum.* Et tandem Provincie Quitensis Imaginem ipsius B. Virginis Dolorosæ his verbis circumscriptum: *Tuam ipsius animam gladius pertransiit.*

9. De prædictis etiam Congregationibus ordi-

namus,

namus, ut Parisiensis, quæ est in Gallia, suscipiat in sigillum Annunciationem prædictæ B. Virginis cum hoc versu: *Ave gratia plena: Congregatio vero Maragnonis Imaginem Sanctæ Mariæ ad Nives quasi apparentis in nubibus super collem rigentibus cum hac litera: Candidiores Nazarei ejus nive.* Quæ quidem signa etiam in veras Provincias erigantur semper, & ubique retineant. Universis vero Prælatiis strictè præcipimus, ut præfatis sigillis, prout unicuique Provincie, seu Congregationi statuuntur in literis publicisque instrumentis obsignandis utantur.

10. Declaramus autem quod per hunc ordinem literæ, quo prædictas Provincias nominavimus non intendimus ipsis derogare suum proprium locum, & Sedem, vel jura antiquitatis earum violare, sed ea omnia illæsa reliquere incolumi. Similiter consistente jure, ac possessione præcedentiæ, qua Vandalicæ Provincia frui respectu Provinciarum Indiarum, & primævis suæ institutionis Decretis.

CAPUT III.

De speciali Regimine aliquarum Provinciarum.

1. Quoniam in Ordine nostro sunt aliquæ Provincie, vel Congregatio, quæ in aliquibus specialiter gubernantur, expedit quidem ad earum regimen, certis quoque, & perpetuis legibus in nostris Constitutionibus concludamus.

2. Primo enim Provincia Aragoniæ, cum plura regna contineat, electionem Provincialis in ea per alternationem perpetuam fieri constituimus, id quod antehac servatum est, ita videlicet, ut uno triennio sit Provincialis ex Cathalonia, vel Sardinia, in sequenti vero immediate ex Regno Aragoniæ, sive Navarræ eligatur, dummodo reperiantur personæ cum meritis ad tale officium a Constitutione præfixis.

3. Prædicta autem alternativa debet accipi non penes originem, & filiationem sæculi, & naturalem, sed juxta filiationem Conventus, in quo patuit ingressus in Ordinem, ita quidem, ut qui habitum suscepit in Conventibus Aragoniæ, vel Navarræ, poterit esse Provincialis in Aragoniæ alternativa, etiam si natione sit ex Cathalonia, vel Sardinia, sive e consero.

4. Rursus, ut omnis occasio præjudicii cuiusque parti penitus evellatur, decernimus, & declaramus, quod nemini faveat adoptio, seu nova filiatio in Conventibus alicujus partis, ut illius alternativa gaudere valeat, sed semper pensari debet, secundum filiationem ex reali habitus susceptione in Conventibus alternativæ concurrentis.

5. Circa Diffinitores vero Provincie, quos præfatum elegit Aragoniæ Capitulum decernimus, ut una saltem diffinitio semper tribuatur alicui ex Patribus Principatus Cathalonie: cum autem Provincia nonnullos habeat Conventus ultra mare in Insula Sardinie, quos facile Provincialis gubernare, & proxime suis necessitatibus occurrere, casibusque emergentibus providere non sufficit; propterea constituimus, ut diffinitus Provincialis eo dirigat unum Fratrem idoneum, qui sit Commissarius Provincialis in prædicta Insula, cum literis, & sufficienti potestate instructus ad libitum, ut Domos ejus gubernare valeat.

6. Quantum ad Provincias Castellæ, & Vandalicæ decernimus etiam, & ordinamus, quod licet in duas sint revera divisæ, Collegia tamen Complutense, & Salmanticense in Provincia Castellæ contenta debeant esse utriusque Provincie communia, ita videlicet, ut Collegium Complutense tres Fratres ex Provincia Vandalia, quinque vero Salmanticense in Collegas admittere, & alere teneantur, quod si ultra præfatos numeros alii mittantur ad illa, eos non teneantur

sustentare Collegia, sed propriis expensis alantur. Hos tamen omnes Provincialis Castellæ poterit ab uno Collegio traducere in aliud, vel etiam ab studio repellere si expedire judicaverit, & Provincialis Bethicæ, ad quem pro utroque Collegio hujusmodi pertinet designatio in eorum locum alios subrogare, quoscumque autem Fratres, hæc duo Collegia, undecumque in Collegas susceperint denuo per annum Fratrem a prædictis respective Collegiis deputatum probandos esse de genere denunciamus: juxta Bullas SS. Pii IV. utriusque Collegio respective concessas.

7. Uterius in Regno Gallie Congregatio, quæ dicitur Parisiensis erecta auctoritate Apostolica donec in Provinciam evadat sub illis legibus conservandam esse decernimus, quas illi Sedes eadem Apostolica ordinavit. In reliquis autem hujusmodi Constitutionibus omnino subjaceat.

8. Adhuc Provinciam Italiæ, quæ utcumque de Fratibus naturalibus, & non paucis de Hispania constituitur sic in electionibus Provincialis moderandam esse decernimus quod videlicet in ea servetur omnino Decretum Sani Pauli V. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 12. Junii 1619. Pontificatus sui anno 15. in quo præcipitur, ut prædicta electio Provincialis præfate Provincie jure alternationis constituatur inter prædictos Fratres Hispanos ex una parte, & reliquos Fratres Italos ejusdem Provincie ex altera secundum consuetudinem hæcenus in ea servatam, ita nempe, ut ad fruendum prædictæ alternativæ sufficiat Hispanis Fratibus adoptio per quinquennium integrum in ea Provincia a solo Magistro Generali concessa. Illos autem quos eo Magister ipse non miserit, perpetuo ab universis ejusdem Provincie honoribus abdicamus, etiam si aliunde præfate adoptionis tempore gaudeant.

9. Parem vicissitudinem inter prædictos observari præcipimus quantum ad electiones Diffinitorum, & Electorum Generalium, ita videlicet, ut semper in Capitulis qualibet pars, & alternativa unum ex se Diffinitorem, atque Electorem Generalem sortiatur, quam etiam divisionem, & sortem inter ipsos pro Diffinitoribus Provincie statuimus, servata tamen etiam ad hæc officia præfata conditione adoptionis. Commendatores autem S. Ursule Neapolis, & S. Annæ Pænormi semper eligi debent de Hispanis, quibus Domo consignata sunt. Commendator vero Romæ secundum consuetudinem eligatur.

10. Et quoniam apud Indias Occidentales in Provincia Quitensi quantum ad Provincialis officium similis viget alternandi consuetudo inter Hispanos scilicet, & ejus regionis indigenas ab ipsa Hispania oriundos; idcirco pariter constituimus, ut prædicta alternatio intelligenda sit, quatenus ex utraque parte suppetat vir habilis juxta Constitutiones nostras ad Provincialatum prædictum: & quantum ad Hispanos, quod similiter præcedat quinque annorum adoptio statuimus, & nunc denuo declaramus de universis honoribus & dignitatibus ab hujusmodi fratribus Hispanis in prædicta, & reliquis Indiarum Provinciis impetrandis.

11. De omnibus insuper Provinciis Indiarum quantum ad Vocales inde ad Generale Capitulum accedentes firmiter constituimus, ut quia longa, & vastissima sunt ab illis regionibus itinera, tam Provinciales, quam Diffinitores, & electores Generales earum Provinciarum, etiam expleto suæ electionis triennio per unum amplius annum sua gaudere voce in Capitulo, modo non superveniat in eadem voce successor in sequenti immediato post electionem prædictorum electus. Quæ omnia, ut sine litibus eveniant fidelibus Instrumentis de tempore electionis eorum esse comprobanda, præcipimus juxta Decretum Capituli Generalis Cathalaunibus a Clem. VIII. confirmatum die 8. Novembris 1594.

CAPUT IV.

De speciali regimine Domus nostræ Barchinonensis quantum ad electionem Prioris.

1. Cum nostra Domus Barchinonensis sit profecto totius Ordinis Caput, in qua revera processerunt illius initia, idcirco hanc ejus antiquitatem, & dignitatem attendentes, atque pristinam ejus consuetudinem perpetuo observari desiderantes, præsentis Constitutione irrevocabiliter stabilimus, ut Prælatus præfatae Domus, non Commendator, sed Prior sit appellandus, cujus electio per fratres ejusdem Domus canonice debeat celebrari per vota secreta, & juxta formam Concilii Tridentini: sic autem electus Prior suo munere per triennium, & non amplius utatur, quod quidem semper computari volumus secundum annos naturales, & integros ab ipsa die electionis, nisi in casibus specialibus inferius assignandis.

2. In illa vero vocem habeant omnes conventuales prædicti Conventus Barchinonensis, dum tamen sint sacris initiati, & quatuor annos a professione antiqui, atque etiam præfata conventualitas in ipsa Domo sit saltem unius mensis proxima, antequam Prioratus per mortem, aut alia qualibet causa vacaverit.

3. Decernimus autem, & ordinamus prædictos fratres Conventuales Prioratu vacante vocem electivam habentes non debere tantum esse filios ejusdem Domus Barchinonensis, sed sufficere Conventualitatem prædictam cum conditionibus declaratis, ut in ea electione suffragari valeant, sive fuerint filii ejusdem Domus, sive filii, & habitatores assignati in tota Provincia Aragonia.

4. Prædicti ergo fratres, sicut præmittitur ad eligendum idonei eligant, & constituent in Priorem ex se, aut ex aliis Domibus totius Provinciae Aragonen. qui sit religione, moribus, & doctrina ita præcellens, ut non solum prædictam Domum, sed totum etiam Ordinem suo tempore, & casibus gubernare sufficiat, pro quo statuimus, ut vel Magister de numero Provinciae existat, vel saltem Præsentatus, etiam de numero, & lectura in eadem Provincia, & electio secus facta sit irrita.

5. In hujusmodi Electione, si adsit Magister Ordinis, vel Provincialis, vel ejus Vicarius, semper alter eorum, qui fuerit inventus præsideat, & suffragium habeat in illa, quod si uterque concurrat præsentia deferatur Magistro, si eam non malit Provinciali relinquere, si uterque vero sit absens, præsidere debeat Superior, seu Vicarius ejusdem Conventus, vel ejus defectu, frater ex tota Communitate professione antiquior. Statuimus autem, quod electio dicti Prioris ad illos tantum ex præfatis Electoribus atineat, qui personaliter fuerint præsentis in illa, sicuti sit in electione Magistri, quod si quis majorem partem medietate eligentium habuerit ille sit, & reputetur tamquam Prior electus. Hanc autem electionem facere teneatur præfatus Conventus intra unum mensem a vacatione Prioratus. Quo elapso, si adhuc non elegerit, tunc Magister Ordinis jure ad se devoluto de Priore provideat.

6. Factam jam Prioris electionem statim Magistro Ordinis explorandam, confirmandamque mitti decernimus. Unde Conventus confirmationem postulans numerum pariter, & nomina omnium vocalium, & simul quot eorum suffragia electus habuerit per autenticum testimonium referat eidem Magistro.

7. Exinde Prior electus consultis Patribus a consilio, Superiorem, seu Vicarium sine mora constituat, qui possit corripere delinquentes, curamque Conventus, & fratrum sollicitè gerat, secundum quod ipse Prior illum instruxerit, & permiserit.

8. Officium prædicti Prioratus ita præcellit in ordine, ut vacante Sede Magistri semper sit primus ad successionem, & substitutionem vocatus modo, & forma, jam alibi constitutis ubi, & de plenitudine suæ potestatis, & cujuslibet alterius, qui potest esse, vel fuerit Vicarius Generalis satis superque decrevimus, unde per dictum officium nullo modo vacare permittimus durante spatio, ac tempore, Vicariatus Generalis etiam si triennium talis Prioratus expleatur, tunc ergo, quia in ipso Capitulo Generali, etiam post actam electionem Magistri adhuc Prior Barchinonensis (sive sit Vicarius Generalis sive non) vocem, & locum possidet usque ad finem Capituli, propterea constituimus, ut præfatus mensis intra quem dicti Conventuales Priorem eligere tenentur excurrere non incipiat, nisi a die authenticæ notitiæ consummationis Capituli ab ejus Secretario attestante.

9. Cum autem Prior Barchinonensis prædictus jure Constitutionis vacante Sede Magistri ante expletum sexennium in officio Vicarii Generalis, totius Ordinis cum plena jurisdictione succedat, decernimus, & statuimus, ut si quando dictum Vicariatum adierit, fuerit solum præsentatus ipso facto propter dignitatem officii, supremique totius Ordinis Magisterii in quo succedit Magister habeatur, sit, & nominetur, modo lecturæ curricula a Constitutionibus ordinata pro simili gradu, cum approbatione Diffinitorii suæ Provinciae jam confecerit.

10. Antiquitas autem hujus Magisterii, ut certum ubique locum obtineat inter Magistros suæ Provinciae computari debet, a die qua Vicariatum Generalem assumpsit, si vero Magister de numero suæ Provinciae prius extiterit exemptionibus Provincialibus (perinde acsi esset functus præfato munere) gaudeat cum præcedentia ad exteros Magistros suæ Provinciae, & loco immediato post eos, qui Provinciales fuerint, & postmodum futuri sunt, inter illum autem, & ex-Procuratores Generales Romanæ Curiae servetur ordo, quem infra in Cap. 19. de ordine sedendi statuimus.

CAPUT V.

De visitatione Provinciarum, earumque Domorum.

1. Cum Magister Ordinis intra tempus sui regiminis teneatur per se, vel per alium totum Ordinem visitare, & Provincialis itidem bis totam Provinciam in suo triennio, aut quoties compellatus fuerit specialiter a Fratribus, vel postulererum eventus, non importunam ducimus formam visitationis ab ipsis, vel suis visitatoribus faciendæ juris, & æquitatis legibus insituere.

2. Primo enim Magister ingrediens visitare alicujus Provinciae Domo, debet simul visitationem Provincialis aggredi, unde si antequam accedat ad Domum Capitelem Provinciae, ubi Provincialis adest aliquas occurrentes Domo in via visitare oporteat in ipsis, etiam de regimine, & reliquis ad Provinciale spectantibus disquirere incipiat secundum formam inferius tradendam.

3. Insuper a Provinciali de Fratrum moribus debet inquirere, ac fratres ipsos in singulis Domibus interrogare si quid emendatione dignum habeant circa bonum, utilitatemque Provinciae revelandum. De quibus omnibus ejus communem visitationem simul, & particulares Domorum peragat, & concludat.

4. Si visitationes istas non per se Magister adimpleat, debet semper eum visitatorem eligere, qui sit ætate, literis, religione, ac moribus approbatus, cui auctoritatem suam in scriptis conferat, quatenus ad omnia prædicta gerenda sibi expedire videatur. Is insuper debet esse zelo, prudentia, & benignitate præditus. Verumta-

men qui potens sit irumpere iniquitatem ne vel fortitudine nimis terreat, vel victus suavitate non adeat; quæ omnia similiter Provinciali, Vicariove Provinciali subiungimus. Visitator autem institutus semper sibi eligat unum Fratrem in Secretarium, qui de omnibus visitationis actibus fidem reddat, Juramentum secreti, & fidelitatis ipsi prius Visitatori perhibeat.

5. Cum vero Prælati, aut Visitator ab eo missus Domum visitandam ingreditur, debet suscipi, iterantibus exhibenda, prout inferius *cap. 18.* præcipitur. Susceptus autem statim visitationem incipiat, nisi ita sit longo itinere vexatus ut aliqua prius requie levare oporteat. Visitator missus tribus tantum diebus requiescere poterit, quibus tractetur, ut hospes, iis vero elapsis, si ne mora visitationem inchoet a cujus initio, ad finem usque dumtaxat sit vere Prælati, viceque, & locum sui principalis obtineat in ea tantum Domo, quam visitat cum potestate tamen extra illam quantum ad incidentia, quæ eandem visitationem respiciant, qua finita, & conclusa, si in ea Domo forsitan immoretur, habeatur hospes: sitque Provinciali, & Prælati locali subiectus, visitationem autem in Domibus exiguis, & modicis semper quatuor præcise diebus continuus peragat, & concludat, in magnis vero duos amplius, vel quatuor dies adjicimus, quos præterire non liceat.

6. Si vero delicta aliqua ex visitatione prodierint, quæ processu judiciali indigeant, & intra dictos quatuor, aut octo dies concludi non valeant, tunc in Provinciis Europæ suo principali a quo fuerit nominatus relinquat. In Provinciis vero Hispaniæ a quocumque fuerit missus Visitator, semper Provinciali deferat per dictas causas, ut eas prosequatur, & finiat, ne si Vicario Generali, aut Magistro a quorum altero nominatus fuerit reserventur, ipsis noceat distantia locorum.

7. Ipsi tamen Prælati visitanti ubique consulumus, ut quantum negotia sustineant, præfixos etiam terminos in visitationibus non prætereant, ne Domus per moram gravetur, vel suspicionibus intestini mali ejus fama lædatur. Quod si visitatio non fiat de officio, & more, sed sit irregularis, & ex peculiari causa emergenti, etsi eam quoque, quam citius desideremus absolvi, nulla tamen dierum metam circumscribi mus.

8. Si Commendator suæ Domui visitationis tempore non adfuerit, visitatio nihilominus eo non expectato fiat, & Visitator, aut Prælati ad omnia prædicta, & inferius insuper dicenda procedat. Si quid autem de Commendatore agnoverit emendatione dignum, de iusta correptione provideat juxta Constitutiones nostras, & prout Domus necessitas postulet. Si vero pro aliquo testimonio necesse fuerit absentem aliquem fratrem vocare, vel citare, id præstare poterit Visitator nominatus in omni visitatione sub excommunicatione, & præcepto.

9. Visitator itaque ingressus Monasterium pace Fratribus oblata, & congregato Capitulo, si Prælati non fuerit literas visitationis ostendat, legique faciat coram Capitulo, quibus lectis, & evulgatis, atque illi præfata visitandorum obedientia dicat: *Benedicite Fratres &c.* commendationem deinde pro vivis, & Defunctis instituat, ut habetur in principio Capituli quotidiani. Postea vero piam, & religiosam exhortationem Fratribus habeat secundum eorum qualitatem, & circumstantias Domus, & moneat primo, secundo, & tertio in virtute Spiritus Sancti, & sub obedientiæ præcepto, ac sententia excommunicationis, ut omnes, & singuli odio & amore postpositis sibi clare, & distincte manifestent ea omnia, quæ in communitate, aliquove individuo emendatione, correctione, seu punitione digna repererint, & maxime quidquid in

observantiæ ruinam, religionis, sive Fratrum perniciem fuerit perpetratum, si quas rixas, aut dissidia, si qua scandala, vel crimina, & si qua alia ex iis, de quibus in scrutinio inferius declarando interrogabuntur, tam in capite, quam in membris agnoverint, cunctaque abs dubio Fratres singuli cujuscumque gradus, & conditionis extiterint ei aperte declarare debeant, ut illis in iudicio, vel extra congruam inferat medicinam.

10. Ut autem Fratres nihil de sibi revelandis occultent, in hoc primo Capitulo, iisdem exponat, quantum illos censura, & juramentum adstringant, quibus omnia sibi nota, ac remedio digna manifestare promittunt, ibi enim adjuvet eos per viscera Jesu Christi; quod bonum Ordinis, & Fratrum in justitia, & veritate diligant, quod salutis eorum boni æmulatores existant, quodque Medico ipsorum vetera, vel putrescentia vulnera celantes eorum patroni crudeles, amique pestiferi non fiant; super hoc enim sit tota, vel præcipua Capituli, ac sermonis materia, quo de ipsorum manibus exquirendum esse protestetur sanguinem ejus, qui suo silentio perierit. Hos maxime securos reddat de secreto a se fideliter, exacteque servando omnibus, quæ sibi quomodolibet revelaverint, prout in conscientia tenetur, & inferius enixe præcipitur.

11. In prædicto deinde Capitulo tam Prælati, quam Visitator omnes Confessarios publice, & ex officio suspendat, præter graduatos, donec novo examine comprobatos restituar, seu a Ministerio revertat. Cæterum si graduatum aliquem a sufficientia, vel discretione, aliisque pro munere requisitis defluxisse cognoverit, prudenter, & privatim similiter suspendat, donec denuo examinatum approbet, vel removeat.

12. Postea vero intra, vel extra celebrationem Missæ Alba, & pluviali indutus, & cum cereis accensis, & thuribulo secundum formam Ritualis Ordinis visitet Sacramentum Eucharistiæ, an sit, in loco pie, religiose, & ritualiter parato, & instructo, & quo tempore renovari soleat. Videat insuper, & recenseat: an reliquiæ, & oleum infirmorum decenti cultu, & custodia serventur. Deinde an sacra indumenta pro necessitate sufficiant, an apta, & munda sint, & quæ reparanda, quæ sint addenda præcipiat.

13. Post hæc autem in secreto loco solus a singulis Fratribus accipiat juramentum, quod vera proferent ad ea, de quibus interrogari fuerint ab ipso, omni odio, & amore posthabitis, eoque sic præfatis, procedat ad inquirendum in genere de statu Domus, de fama, vita, & honestate Prælati, & Subditorum ejus secundum instructionem inferius proponendam, singulaque in emendationem, respective inducat, prout sibi declarata, ac probata fuerint, & justitiæ, vel charitati conveniat. Delicta vero tam Commendatorum, quam Fratrum visitet, corrigat, & emendet, quocumque tempore perpetrata sint, si punia, & emendata non fuerint.

14. Post visitationem rerum Ecclesiæ visitari debent omnes libri rationales, & inventaria Conventus, videlicet liber Missarum, & reliqui omnes dati, & accepti, inventarium Sacristiæ, Infirmariæ, Bibliothecæ, omniumque utensilium, quæ sunt in cellulis Fratrum, cum tabula Defunctorum Provinciæ. Deinde vero libros redemptionis suscipiat, quos diligentius, & accuratius (ut institutum postulat) severissimo examine perpendat, & si quid in illis inveniat extra Constitutiones hujusmodi commissum, absque ulla misericordia corripiat. Si Procuratores autem prædictæ redemptionis tepidos, & negligentes invenerit in hujusmodi charitatis officio, puniat, vel amoveat, secundum qualitatem delicti. Commendatores etiam juxta Constitutiones nostras in hac vel alia culpa deprehensos, poterit Visitator suspendere, convictosque privare, ac Præsi-

dem pro illis substituere, donec Prælati Superior de domo illa provideat, super prædicta autem Commendatoris suspensione declaramus eam posse Prælatum, aut Visitatorem aliquando facere absque eo quod causam, vel rationem exhibeat.

15. Similiter si Vicarium, si Procuratorem Conventus, aut Sacristam dignos depositione, vel remotione probaverit, eos a suis muneribus depellat, atque alios a Commendatore subrogari constituat. Si vero Depositarium huiusmodi privatione afficiat, ejus nominationem Conventui relinquat. Magistrum autem Novitiorum si fuerit a se depositus, Provinciali noviter eligendum deferat.

16. Ad Provinciale denique sive ejus Visitatorem pertinet in ipso actu visitationis informationem de Lectoribus per se ipsos immediate suscipere; itaut in scrutinio secreto fiat omnino certior de illorum negligentia, & defectibus, vel de sollicitudine in proficiendo, & docendo, de quibus etiam juxta superius Dist. 6. Cap. 6. ordinata publice testimonium debet accipere a majori parte Conventus de peractisque curriculum juridicam informationem suscipere, ut suo tempore exhibeatur Diffinitorio Capituli. Ex his ergo, & secundum ea, quæ legitima probatione deprehenderit debet eos laudare, vel corripere, aut etiam (si visitationem faciat Prælatus) ipse solus lectura privare, quos a prima sufficientia noverit excidisse.

17. In mutationibus Fratrum si plures amoveri expediat, non omnes dispergat simul, sed transacta visitatione sensim, singulatimque ne scandalum fiat in Populo.

18. Facta ergo visitatione atque omnibus ejus actis scripto mandatis fiant a Visitatore Decreta, quæ sibi visa fuerint expedire prout Dominus statuit, regularisque observantia postulet custodia, & sic omnia scripta permaneant, & ubicumque opus fuerit in Diffinitorio, aut Capitulo fidem faciant. Statuta vero, congregato a Visitatore Capitulo inibi legantur, brevique Fratres oratione ad eorum observantiam, aut totius vite regularis inviolatam integritatem hortetur, postea omnes se prosternant, & dicant *Confiteor Deo &c.* stans autem Visitator adjiciat: *Miserere vobis &c. Indulgentiam &c. Et ego auctoritate Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & auctoritate mihi commissa absolvo vos ab omni vinculo irregularitatis, suspensionis, excommunicationis late ab homine, vel a jure (si indigeris) & ab omnibus transgressionibus, excessibus, omissionibus regula, & Constitutionum nostrarum, quantum ego possum, & quod non possum suppleat, & perficiat omnipotens Sacerdos, & Summus Pontifex Dominus Jesus-Christus, & injungo vobis in penitentiam omnium peccatorum vestrorum quicquid boni feceritis, & specialiter jugum obedientie, ac regularis observantia disciplinam in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen, & sic concluditur, & solvitur visitatio.*

19. Tempore visitationis Prælatus semper, aut Visitator cum Fratribus in Refectorio comedat de communi victu, neque singularia sibi ferula parari sustineat, qua de re illius conscientiam oneramus, ne visitatio, quæ mederi debet, excessibus eos inducat potius, quam cohibeat.

20. Prælato, vel Visitatori provideat Conventus necessaria pro impensis itineris usque ad Monasterium proxime visitandum, semper vero religiose, & honeste, Prælatus, aut Visitator incedant cum uno Fratre socio, & servis, & animalibus necessariis, ne Domus dilapidentur a Visitatoribus.

CAPUT VI.

De interrogationibus a Visitatore in inquisitione, & scrutinio secreto faciendis.

1. Ingresso Visitatore scrutinium, & a singulis Fratribus præstito juramento, ut prædicatur

illud in hanc formam incipiat: An scilicet Prælatus frequenter absit a Divino Officio, & oratione mentali: an de illis ita sit negligens ut aliquando non ritualiter, ac devote compleantur, neque temporibus a Constitutione dispositis: an residentiam Chori Fratribus per se dispense, eamve curare prætermittat: an circa Ecclesiam, & Missarum celebrationem, secundum omnia Conventus, & Ordinis onera curam adhibeat: an lampades SSmi Sacramenti jugiter ardere non studeat, aut super hoc negligentiam Sacristæ non severe corripiat.

2. Insuper an redemptionis instituto, & elemosynarum Collectæ minus diligenter intendat: an ea, & universa redemptionis bona fideliter custodiat, & tractet, & a Fratribus eadem procurantibus similiter tractari faciat.

3. An sæpius Refectorio non intersit, aut Fratres pro viribus interesse non faciat: an illis super hoc nimis indulgeat, aut juniorum Ordinis violationi consentiat: an eorum depravatos mores non coerceat, illisque in observantia regulari laxa frana dimittat: an ab ipsis munera accipiat: an fiat personarum acceptor, seu lenior in penis, & observantia custodia, quod etiam potissime interrogabit Visitator Generalis de Provinciali, aliisque Prælatis Ordinis, & quos donorum receptores, sive acceptatores personarum invenerit (& maxime ab illis, quos Provincialis in officio, vel commenda suscepit) propriis deponat officiis, & publicis quoque penitentis vindictam sumat de fecitate criminis, ut illis in correctionem, reliquis vero Fratribus proveniat in exemplum.

4. Uterius inquiret de Commendatore an quotidiana Capitula habere, fratresque assidue corrigere prætermittat: an benigne, & commiter, vel durius, quam expedit cum Fratribus se gerat: an erga infirmos debitum charitatis exolvat, vel omnibus postulata necessaria dispense: an erga singulos æque affectus appareat, aut divisiones foveat, quas imo tenetur extinguere: an circa bona Conventus infidelis, negligens, aut dissipator existat: an illi census, possessiones, atque eorum instrumenta sint cura: an singulis Septimanis computos, & rationes faciat. De prædictis ergo præcipue non debet erga Commendatores interrogatio dimitti. Perit tamen Visitator plura alia, quæ ad eos pertinent inquirere, prout opportune, & congruenter expediat; libros quoque dati, & accepti, & quæcumque rationalia, & inventaria Conventus, etiam si alioquin visitata denuo perferantur in examenque, & inquisitionem revocare valeat.

5. De Vicario autem interrogabit: an Choro frequenter intersit: an inter ipsum, & Commendatorem mutua sit intelligentia, quæ Conventus paci noceat, eosdemque Fratribus reddat de aliqua in eos, aut Domum infidelitate suspectos: an Divinum officium statutis temporibus, & devote quotidie celebrandum curet: an in designandis officiis per tabulam Sabbati sit personarum acceptor: an sit de infirmis sollicitus, & alia id genus, quæ Visitatori opportuna videantur.

6. Insuper de Sacrista, Procuratoribus, Depositariis, cæterisque ministris, & officialibus interroget an sua munera religiose, & diligenter exercent. Item de Prædicatoribus, & Confessariis: an suis ministeriis sufficiant ad profectum, eaque laudabiliter, an vero indigne, & cum dedecore compleant.

7. Adhuc de Lectoribus, & studentibus, eorumque Magistro, & Regente studiorum inquiret: qua sollicitudine, & utilitate suo quisque muneri incumbat: an Regens studia moderetur cum zelo, disciplina, vel protervius, aut nimis justus in munere discordias cum Prælato sustineat: an Lectores sæpe a lectura deficiant, an in

aliquo a Doctrina *Divi Thomae* discendant, vel sint novitatis amatores: an singulis diebus non feriatas conferentia, statisque temporibus conclusiones habeantur.

8. An Conventibus Novitatum de ipsis Novitiis, & eorum pia disciplina diligentissime inquirent: an videlicet Magister ipsorum illis instituendis, verbo, & exemplo invigilet: an sint in Regula, & Constitutionibus, cantu, ritibus, caeremoniis, & arti recitandi satis instructi: an capacitate, sufficientia, & moribus polleant; quibus ad professionem indigent. Si quos autem in hujusmodi deficere inveniat, moneat Commendatorem, eorumque Magistrum, ut ipsos diligentius instituant; & si adhibita omni cura melioris frugis, & sufficientiae non evadant, eos ab Ordine dimittant.

9. Circa Fratres Laicos inquirent etiam specialiter de illorum institutione in Catechismo, de observantiis Ordinis, de frequentia Sacramentorum, de vitae honestate, & bona conversatione illorum.

10. Circa Fratres autem in communi, ita ex Praelato, & subditis de sequentibus interroget: an aliqui suspecti sint de horis non recitandis, de non confitendo frequenter, & temporibus a Constitutione designatis, de indevote celebrando, & si quis forte, non iusta de causa Missae celebrationem omittat.

11. Circa vota vero an aliqui utantur superfluitate in vestibus, aut non servant uniformitatem, tam in materia, quam in colore, vel forma: an habeant aliqua utensilia, vel dona suscepta, aut peculia Praelatorum libito, & voluntati non exposita: an sint suspecti de aliqua familiaritate inhonesta, vel impura, sermonum consuetudine: an sine licentia cum Mulieribus quandoque tractatus habeant: an omnes debitam superiori reverentiam exhibeant: an humiliter ferant ejus increpationes, & monita: an aliqua bona redemptionis laeserint, vel ea tractantes negligenter, aut cum infidelitate procedant.

12. Circa Constitutiones, & Regulas percontetur: si quis eas contemnat: si quis pro consuetudine frangat: si jejunia Ordinis cum valeat non observet: si quis silentium horis statutis habere despiciat: si quis a Choro sapius, aut Refectorio, aliisque communibus actibus absit.

13. Insuper: an inter Commendatorem, & Fratres sit religiosa concordia: an sese omnes vero charitatis foedere diligant, inter quos si qua dissidia, aut partes invenerit, solcite radicem inquirent, & evellat, auctoresque discordiae cum severitate corripiat: an alii alios decipiant, & non debito se invicem honore praevenerint: an mutuis se detractionibus devorent: an (quod absit) species aliqua ludi a jure, & Constitutione nostra prohibita inter Fratres serpat, aut vigeat, vel maxime cum secularibus, aut coram illis exercent: an scandalum aliud commiserint: an contra Praelatos Ecclesiae, vel statum politicum privatim, aut publice concionando aliquid indiscrete protulerint.

14. Tandem in Hospitiis, & exiguis Conventibus, inquirent: an Divinum Officium quotidie celebretur, & potissime in locis ubi Sanctissimum Sacramentum asservatur, & illud recitari statuat coram ipso si nondum invenerit institutum. Illis etiam Ordinem vitae regularis praescribat, vel jam praescriptam discutiatur, & confirmet, prout judicaverit opportunum.

CAPUT VII.

De observandis in praedicto scrutinio a Visitatore, & Fratribus.

1. De praefatis omnibus, & aliis, si pro opportunitate opus fuerit, debet Visitator inquirere ex officio, & in genere, verum ne ipse in iis, &

potissime Fratres jura charitatis, aut justitiae praetereant, ipsi visitatori praecipimus, ut in hac generali inquisitione caveat omnino laedere famam Conventus, aut Subditorum, inquirendo specialiter de persona, aut delicto, nisi fuerit de aliqua, vel aliquo instructus, tam intra, quam extra scrutinium praefatum, ut secundum jura charitatis, & justitiae specialis inquisitio fieri queat: eo videlicet sine, ut peracto scrutinio ex eo deliberare possit, quae secreto, ut pater, quae domestice, & plane, quae vero in judicio ad vindictam publicam corrigere expediat, & liceat, ne de singulis processus cum strepitu, judicialique mora confurgat. In reliquis vero, de quibus non est infamia, aut suspicio semper inquirent in genere: juxta interrogatoria praemissa, quae etiam personas munerum, & officiorum videantur attingere, non est ideo particularis inquisitio, cum fiat generaliter ex sola Constitutione, & officio.

2. Quaecumque autem sibi revelentur debet ipse solus sine Secretario conscribere, qui tantum postea vocandus est pro his, quae sint tractanda in judicio. Ipsi vero Visitatori praecipimus in virtute Spiritus Sancti: ne quidquam de sibi revelatis in praedicta inquisitione generali, directe, vel indirecte cuiquam aperiat. Quod si ex ipsis possit jam satis iuste procedere ad inquisitionem specialem, semper eam faciat suppressis nominibus delatorum donec illi in judicio se ipsos manifestent, ac detegi oporteat, prout consuetudo, aut praxis, & facultas regularium, causaque postulaverit.

3. Circa praedicta vero legitime interroganda universis Fratribus declaramus teneri ad Visitatoris mentem respondere, & nihil tegere posse, aut quavis arte celare, & veritatem de his, quae remedio indigeant, ac veniant revelanda de jure: unde crimina jam publica una cum eorum Auctoribus publice diffamatis, etiam sine praevia correctione fraterna sunt ab ipsis manifestanda absque dubio sub poena perjurii ut publico scandalo fiat satis. Quae autem sunt occulta, si tamen vergant in commune damnum, aut tertii, quod superet famam ipsius delinquentis, etiam sine dicta correctione manifestari debent, nisi certo sciant solam correctionem fraternam ad criminis emendationem non sufficere; si vero tantum redundant in damnum ipsius peccantis similiter nota fiant Praelato, praemissa correctione fraterna.

4. Quo circa hanc regulam Fratribus observari praecipimus, quod in omnibus delictis, siue debeat praere correctio Evangelica, siue non. Si tamen aliquando possunt ea licite manifestare Praelato tamquam Patri, vel Judici, nulla ratione praeterrmittant, neque illa finant in Fratribus obscurari, aut eos sine Medico, & medela pestis propter modicum ruborem, & dolorem famae apud illum, malint enim vulnera eorum & ulcus, Praelati discretae providentiae cum fiducia subicere, quam eadem occulte putrescere. Praelatus vero in omnibus ad se delatis, ita prudenter se gerat, ut nunquam temere, & inconsulto crimina subrogat, sed ea respective medenda suscipiat paterne, vel judicialiter, secundum quod de jure, & charitate magis congruat emendationi delinquentis. Eam tamen regulam sibi observandam statuatur: ut secreta secreto, publica publice corrigantur, & coram pluribus, aut paucioribus secundum gradum diffamationis delicti.

5. Quaecumque autem deferenda sint judicialiter semper de illis debet procedere diffamatio, & suspicio, quae de jure ad delationem sufficiat. Si reus jam fuerit alioquin emendatus in casibus ita occultis, & ex illis scandalum, & vindictae publicae satisfaciendi necessitas non emergat omnino celandus est Judici. Si autem sine scandalo offendant, & fraterna correctio non prosit, vel quis eam facere non audeat, Evan-

gelicam tantum denunciationem adhibeat, ut paterne, & sine strepitu corripiatur. Quæ jam fuerint punita, aut correcta, nec paterne, nec judicialiter denunciatur Prælo, nisi morale immineat relabendi periculum; cum ipsi aliquid manifestaverint; debent etiam declarare omnia, quæ illum juvare possint, ad convincendum delinquentem: ex auditu nihil proferant, nisi simul referant a quo, vel quibus audiverint.

6. Facta itaque inquisitione generali agere debet Visitator secundum quod ex illa deprehenderit, quæ enim ut Pater agnoverit, paterne corripienda suscipiat, & si per amotionem a loco aut alia media suavia possit avertere delinquentem a reiteratione lapsus absque nota infamiae, ita profecto exequatur. Si autem delicta publica invenerit, vel quæ deduci possint, & probari in judicio, & sic oporteat fieri tunc procedant ad inquisitionem specialem prævia semper insinuatione clamorosa, non quidem leviter inter quoscumque vagante, sed a timoratis, & prudentibus attestata.

7. Si autem judicium de aliquo crimine instituat, cum hoc fieri possit per accusationem aut denunciationem judicalem quæ sæpius pacem turbant in Ordine, seminariumque prodeunt discordiæ, ac fomites invidia inter Fratres, idcirco tertia via incedere Prælo consulimus, quæ quieti, & societati fraternæ magis convenit. Jamque est a regularibus in consuetudinem ducta, quod videlicet Visitator procedat ad inquisitionem specialem non quidem ad instantiam juridicam accusantis, aut denuntiantis, sed ex solo officio idest utendo ipsorum delatione, & notitia sufficienti, & legitima in prædicto scrutinio, vel extra, vel ab ipso clamore facti legis, aut vera infamia delicti tanquam accusatoribus fictis accepta; in hac enim forma nullius personæ accusantis, vel denuntiantis nomen scriptum appareat in processu, sed Testes a Prælo ex officio vocati coguntur attestari, quod noverint sine strepitu, & nota livoris unius Fratris in alium cum hæc omnia tunc fiant ex sola Judicis æquitate, & officio; juxta notitiam in præfata generali inquisitione susceptam.

8. Hæc est enim via corripiendi, & judicandi salubrior, & charitati conformior, & vix in Ordine reperietur delictum, quod vel paterna correptione, vel præfata ex officio emendari non sufficiat. Si autem aliquid occurrat, quod propter commune bonum indigeat accusatione, vel denunciatione judiciali, hæc prius quam illa eligenda est, quia lenior, & magis charitatem redolens, nisi forte accusatione sit opus omnino ad majorem vindictam sceleris, vel si ab ea delator reverti noluerit, vel pars læsa clamet ad Judicem.

9. Quæcumque autem assumantur, debet fieri coram Secretario, qui delationem scribat cum nominibus delatoris, & tertium; in quo tamen casu si Fratres in inquisitione speciali judicialiter deferre, & ratificare noluerint, quæ in generali detulerunt debent cogi præcepto, & censuris, & ipsi tenentur obedire Judici. Sciat autem accusans, ipsum esse obligatum ad probandum plene debitum sub pœna talionis, cui etiam aliquatenus subditur denunciatus, qui sine sufficienti fundamento denunciavit, aut accusator palliatus reperiat, qui eo dignoscitur, cum revera utitur nomine denunciantis, & nihil scribi permittit, nec vult delata subscribere, aut illis nomen dare, & omnino pœnas talionis effugiat.

10. Delationes, quæ importune malignitatem redolent non debet Visitator admittere; admittas autem, & tales postea repertas non profecti, sed rescindere, quinimo prudens consilium erit veras aliquando non tractare in judicio, ex quibus forsitan majus scandalum formidatur, quam profectus eruitur, dum ex ipso judicio altius in delinquentem, aut Communitatem cre-

pitare consuevit infamia, vel ignis discordiæ in Fratribus exardescere. Talibus autem Prælo suaviter, & paterne medeatur secundum prudentiam sibi datam a Domino. Melius est enim aliquando, oleo maturare, & concoquere vulnus, quam illud ferro incidere, suaque putredine judicio publico diffusa delicatos & ignaros inficere.

11. De levibus nunquam instituat judicium; sed de plano corripiatur secundum Ordinis statuta, & juxta prudentiam & censuram Prælati. De iis etiam Fratres respondere tenentur in scrutinio præfato, præsertimque aperire quæcumque possint in communem ruinam observantiam inducere.

12. Visitator autem, & omnis Prælo caveat ab epistolis non subscriptis contra Fratrem aliquem sibi directis, quas debet omnino despiciere, ut per eas de tali Fratre ad inquisitionem specialem deveniant, etiam si epistola non subscripta testes adhibeat: quod si subscriptam ab aliquo Fratre sibi noto recipiat, poterit ab ipso rem diligenter investigare, quousque satis sit, ut ea versetur in judicio.

13. Sæcularium delationes, aut literas in Fratres nunquam suscipiat, nec eos pro testibus admittat, nisi crimen, vel scandalum Fratris urgeat, & solum fuerit inter sæculares nullo sciente Fratre commissum.

14. Denique cum Prælo sint quasi signum ad sagittam, nec possint omnibus placere, sed potius in eos multorum odia succenseant, idcirco in eosdem accusatio non est facile a Visitatore admittenda sed diligentem cautelam adhibeat, ut ex qualitatibus Prælati subditorum ac prudenter, delicti agnoscat, an ex Invidia, zelove æquitatis delatio procedat, & sic se gerat in omnibus, & provideat ne Prælati criminationibus versentur injustis; ut tamen caveat, ne sub hac umbra criminibus insoleant. Cunctis ergo prædictis a Visitatore servatis ita se habeat cum Fratribus, & delictis: ut quantum possit nihil impunite maneat, & omnes sub meliori fruge, & conversatione relinquant.

CAPUT VIII.

De domibus acceptandis, ac noviter erigendis, in regularique Clausura constituendis.

1. Nulla domus in qua Fratres nostri debeant commorari sive sit Conventus formatus, sive hospitium per aliquem Fratrem nostri Ordinis acceptetur, vel acceptata dimitatur, aut alio transferatur, seu commutetur in alteram, nisi de licentia Magistrum, vel Provincialis: in novis foundationibus servetur praxis consuetæ. In qualibet autem quæ sit noviter constructa, vel Ordini collata (nisi fuerit domus rusticana, aut hospitium) semper aliquis Frater fiat Commendator, qui sit prudens, & fidelis administrator illius. Hic habeat secum illum numerum Fratrum, quem, & locus exigat, & domus substantia patiat, a quibus adjuvetur, & humiliter obediatur in omnibus. Debent etiam Divinum officium devote celebrare, & elemosynas pro Redemptione captivorum impense colligere, & laborare in ipsis, quæ sunt duo nostri Ordinis cardines, & instituta illius in quolibet Conventu exequenda.

2. Pro iis ergo, & aliis quibuscumque Provinciarum domibus debet Diffinitorium Provinciale solite providere, ut juxta distantiam a se invicem unaquæque (si territorium sufficiat) suum districtum habeat pro elemosynis captivorum procurandis, qui nullatenus cum termino alterius domus confundatur, sed ita sint ad invicem discreti, ut collector unius domus fines alterius non attingat, & quisque tantum fiat de suæ mense caudalibus.

3. Domus autem, quæ de cætero erigantur in Ordine ita exurgant ambitu, & mole capaces, ut & templa Deum, & cultum ejus deceant, & frequentia Populi aliunde sufficiant, nec numero Fratrum sit locus aliquando futurus angustior, sit inquam ita latus, ut omnes officinas, & Cameras regulari domui necessarias, & congruas modeste intra se continere valeat. Enixe vero consulimus, & in quantum liceat præcipimus: ut universis domibus Ordinis si loci amplitudo permiserit semper aliqua pars vel area separetur ad opus horti, ut intra illas habeant Fratres aliquod recreationis levamen, nec illud foris querere indigeant.

4. Rursus claustra in eis ædificanda ita clausa, & oberata extruantur, & jam extracta similiter reformentur, quatenus sit possibile, quod transitus ad Chorum hyemis asperitatibus non pateat, ne fiat inde prætextus dispensandi aliquoties Matutinas media nocte dicendas.

5. Quascumque autem domos nostras, quæ jam sint vere Cœnobium, Conventus, vel Monasterium, sic legibus clausuræ subjecimus, ut nulli Commendatori, Præsidi, vel Vicario, aut cuicumque particulari Fratri liceat sub pena privationis officii, & utriusque vocis in perpetuum in designatam clausuram intrudere, seu ingredi permittere, quocumque colore, vel causa, etiam serviendi, aut curandi ægros. Quo circa declaramus clausuram Monasterii, Cœnobii, vel Conventus esse ea omnia, quæ pertinent ad ipsius habitationem, ac domicilium, exceptis Ecclesiis, & Claustris inferioribus, si capellas, & sacella contineant. In quo casu ad hujusmodi claustra feminas ingredi permittimus, tempore dumtaxat celebrationis Missæ, aut processionis aliqujus. Poterit tamen in hoc Magister, vel Provincialis pro bono regimine declarare, & interpretari difficultates, quæ in hac parte occurrere solent.

6. Sæculares in domibus nostris convivere, aut pernoctare non permittimus. Delinquentes autem, qui se ad Monasteria recipiunt, ut capturam effugiant, nullus Prælati ultra tres dies patiar in suo Conventu manere, & potissime intra claustra sub pena privationis officii; Frater vero, qui prædictos clam, aut quomodolibet retinuerit, penæ gravis culpæ subiaceat, & Conventualitate privetur.

7. In fine tandem statuimus: ut in quacumque domo cellæ, & camera illius sic Fratribus a Prælati distribuantur, ut semper potiores dignioribus conferantur.

CAPUT IX.

De possessionibus habendis, cæterisque bonis temporalibus.

1. Possessiones, redditus, & eas quæ pertinent ad commune proprium, vel tangunt possessionis titulum liceat Ordini nostro tenere, & possidere. Unde universis Commendatoribus nostris licitum erit de consilio suorum Conventualium prædicta bona acceptare, ut habeantur, & possideant in communi, seclusa omni proprietate singularium: si qua vero Conventus bona possideat in annum perpetuumve censum redigenda, sive jam extinctorum censuum sint capita, sive pecunia ex hæreditario, aut alio quovis Jure proveniens, sive quocumque titulo accepta, vel donata Conventui, id nequaquam facere possit solus Commendator, aut Procurator aliquis, sed Conventus dumtaxat cui privative competit, tamquam dictorum bonorum Domino. Ad hoc autem debet congregari Capitulum, ac de consensu majoris partis res ista decerni, interveniente tamen licentia Provincialis in scriptis ab ipso Conventu Capitulariter, petita,

discussaque fideliter securitate, & bonitate hypothecæ, & quod aliis censibus, & contractibus non teneatur adstricta.

2. Super his ergo bonis, & aliis quibuscumque statuimus, & ordinamus, ut tam Generalis, Magister in Ordine, quam Provincialis, & Commendatores in suis respective Conventibus, & Provinciis diligenter requirant, aut requiri faciant scripturas omnes, & publica instrumenta possessionum, reddituum, legitimarum, actionum, & quorumcumque aliorum bonorum ad Ordinem nostrum, Provincias, & domos ejus quomodolibet pertinentium, ut illa in communi deposito ordine debito, & accurate custodiantur, ita sane, ut facile dignoscantur rescripta omnia, & publica instrumenta bonorum omnium prædictorum, & sint in promptu, quoties necesse fuerit.

3. Commendatoribus autem præcipimus sub pena privationis officii, quod quoties aliquis census, & hypothecæ cujuscumque possessionis Conventus in novum possessorem transeat; de hoc semper memoriam faciant in libro speciali expressis nominibus ementium, atque etiam illorum qui noviter, & de facto possident Terras, domos, aut hæreditates liminares, quibus hypothecæ, hæreditas, censualis, aut possessio Conventus adhæret, itaut probatio identitatis eorum nunquam perire valeat, nec oblivione deleri, sed tractu successivo novorum Dominorum semper diligentissime notato omni tempore dominio Ordinis pateat. Quod insuper, ut aliunde non pereat sub præfatis penis ejusdem commendatoribus constituimus, ut omnes Dominos prædictorum censuum, hæreditatum, aliorumque bonorum Conventibus respondentium in toto suo triennio, aut etiam in antecedentibus invocatos obliget, ut novo instrumento juridico se ipsos debitores Conventibus fateantur.

4. Similiter omnia debita tam activa, quam passiva debent Commendatores in libro speciali conscribere, ut omnium illorum nomina ulla oblivione deleantur. Nomina insuper, tam debitorum, quam creditorum in ipso etiam libro memorari præcipimus, ut quid cuique debeatur aut debeat, Conventui constare valeat. Si quid autem mutuo Commendatores accipiant, semper id faciant numerata pecunia coram Depositariis, & inter debita activa in prædicto libro conscripta, in librisque majoribus Conventus dari, & accepti tam in solutione, quam receptione dictæ mutuatæ pecuniæ, quod si contrarium faciant, tam ipsi Depositarii, quam Commendator penam privationis vocis activæ, & passivæ, & officiorum incurrant, & sint obligati debito donec illud Conventui solvant.

5. Statuimus præterea, ut Superiores Ordinis quacumque auctoritate, seu facultate præfulgeant, nullo modo possint bona quacumque in alteram Provinciam, vel etiam de uno Conventu in alium traducere, juxta Constitutionem Clementis VIII., ejusque tenorem sub datis Romæ 19. Januarii 1601.

6. Quantum vero ad alienationem bonorum Ordinis districte præcipimus, ut neque Magister Generalis, neque Provincialis, aut illorum Capitula, neque Commendatores, aut illorum Conventus, vel quilibet alius possit per se, vel alterum remittere, aut condonare, neque renunciare hæreditatem legitimam, aut alia quacumque bona, quæ fratribus, & hæreditario Jure Paterno, vel Materno, aut quovis alio illis, & Ordini debeantur.

7. Super quibus similiter observari præcipimus Decretum Sacræ Congregationis Concilii speciali jussu SSmi. Urbani VIII. editum die 7. Septembris anno 1624, ubi perpetuo prohibetur omnibus Superioribus cujuslibet Religionis sub pena privationis omnium officiorum, vocisque activæ, & passivæ ipso facto incurrenda

bonorum immobilium pretiosorum alienatio, aliaque actiones, & contractus circa eadem bona in eodem Decreto contenta, nisi eadem Sacra Congregatione, & cum ipsius expressa licentia præterquam in casibus a Jure permisis, & pro redemptione Captivorum.

8. Præfenti Constitutione statuimus, & decernimus, ut bona stabilia, ad fratrisque legitimam pertinentia, semper illi Monasterio tribuantur, ubi talis frater habitum religionis suscepit. Cum autem e vita discesserit, universa bona mobilia, quæ ad usum possidebat, sic dividantur, ut habitus, & vestes religiosi magis indigentibus a Commendatore distribuuntur, pertinentia vero ad lectulum, & mensam, quæcumque illa sint ducantur ad infirmariam, ejusque deposito inferantur, in quo hujusmodi utensilia pro Infirmis tantum custodiri præcipimus modo, & forma jam suo loco prædictis. Cæterum libri a Magistro, vel Provinciali Conventibus studiorum (prout melius expedierit) impertiantur. Sedilia vero, mensæ, & omne genus arcæ, tegumentorum, vestiumque custodiæ, ministerium scribendi, lucernæ, & candelabra, & id genus utensilia maneant ipsi Conventui, ubi frater decesserit, in communie ejus inventario describantur, tamquam bona ipsius Conventus; itaut perpetuo conserventur in Cellis ejusdem ad usum religiosorum.

9. Reliqua tandem bona, quæ præter dicta superfuerint solutis ante omnia debitis Defuncti in quatuor partes æquales dividantur, quarum prima pertineat ad Conventum in quo Defunctus habitum suscepit. Secunda ad Provinciam pro expensis Provinciae. Tertia reponatur in custodia Religiosi designati a Magistro Generali pro victu, & sustentatione sui, & pro sumptibus officii. Quarta vero ad ipsum Magistrum Generalem pro expensis, & causis Romanæ Curiae mittatur.

10. Declaramus tandem ad hanc divisionem, & partes non pertinere, neque inter spolia reputanda esse ea debita, quibus Conventus aliquis adstringatur fratri decedenti ratione commendæ ab eo gubernatæ, & si quid de hoc in computis, & rationibus talis Conventus prædicto fratri debitum apparuerit eo defuncto cedat in beneficium Conventus, & deleatur a debitis.

11. Circa bona autem, quæ Magister Ordinis decedens ad se pro suo tempore pertinentia reliquerit, distincte præcipimus Provinciali ejus Provinciae in qua prædictus Magister obierit, ut ea omnia tamquam bona Ordinis diligentissime colligat, & in aliquo deposito fideliter custodienda reponat. Ex quibus solutis prius omnibus debitis Magistri, & Ordinis, si qua fuerint, reliqua futuro proxime Generali Magistro omni cura reservert, illique quam primum electo subjiciat, eidemque rationem reddat de illis.

CAPUT X.

De Depositariis Conventus.

1. Ut autem prædicta Conventuum bona debita ratione, & fidelitate serventur, & dirigantur, duos Depositarios, seu Clavarios in singulis domibus institui præcipimus, qui libere, & per schedulas, suffragiaque secreta capitulariter eligantur, nec aliter possit ullus Commendator illos designare, aut nominare sub pena privationis officii, nec eadem die, qua proponit electionem, eam perficiat, sed unum diem ad minus pro electione conferenda, fratribus concedat.

2. Ad hujusmodi munus semper eligendus est frater, qui sit arte calculandi sufficienter idoneus, probatæque fidelitatis. In Conventibus autem ubi fuerint graduati unum saltem ex illis necessario duximus assumendum, alterum vero de reliquis fratribus ejusdem Conventus.

3. Ad eos quidem pertinet regere libros omnes dati, & accepti, & omnium rerum, quæ pertinent ad Conventum rationem habere, & secundum proprias earum species, & qualitates diversos libros statuere, in quibus omnia cum distinctione scribantur.

4. Quantum enim ad pecunias illis distincte, sub excommunicationis majoris poena præcipimus, ne in libris rationalibus quantitatem aliquam cujuscumque sit generis apponant, aut subscribant, quæ realiter coram ipsis non fuerit numerata, & in deposito recondita, nisi statim de illa fiat solutio aliqua ab ipsis quoque Depositariis cum Commendatore vere, & realiter creditori numeranda, nec sub eadem poena permittant, quod sumptus, & expensæ, omnique ratio dati, & accepti confuse adnotentur, sed distincte, & cum omni claritate adjectis pariter nominibus dantis, & accipientis, sive etiam vendentis, & ementis.

5. Si qua autem debita contra Conventum in triennii sine remaneant, inviolabiliter ea debent scribere in ratione, & computis Capitulo Provinciali exhibendis, quod si non faciant, illis, & Commendatori irrelaxabiliter solvenda relinquimus, itaut licet Conventus eorum solutionem faciat, ipsi eandem teneantur Conventui retribuere. Præfatis ulterius depositariis injungimus, ut computos a Commendatore fieri contendant tempore, & forma superius Cap. 23. Dist. præstabilitis. Prætereaque, ut bona redemptionis, ac debitam de illis rationem diligentissime sumenda curent, juxta ea, quæ Dist. 2., & 3. præcipimus.

6. Insuper ipsis Commendatoribus, & Depositariis constituitur, ut nullas externorum quantitates in communi deposito custodiendas suscipiant, & inferant, nisi sub hac lege, quod ad restitutionem earum Ordo noster minime teneatur, si furto, vel incendio, aut quavis alia ratione simile periri contigerit.

7. Tandem si Depositarius aliquis a suo exercitio, & munere sit quomodolibet impeditus, tam per brevem, quam diuturnam moram, clavem depositi, & exercitium muneris alteri fratri consignet, cui se credere posse cognoverit, illeque omnem ejus potestatem obtineat, sitque subjectus omnibus prædictis, sicut Depositarius ipse.

8. Quoniam autem potissime ad Depositarios attinet bonorum Conventus habere expressam notitiam, ac libros eorum dirigere, in illisque scripturas, & novos hypothecarum dominos, censuumque notare debitores, & de cunctis exactam rationem habere, & reddere valeant, una cum Commendatore in Capitulo. Idcirco statuimus, ut unus eorum, qui ex judicio Prælati plus sit diligens, & disertus in custodia, & peritia scripturarum, officium Archivarii exerceat, & ita habeat cuncta instrumenta disposita, ordinata, & servata, ut quantum sit possibile disperdi non valeant: habeat apud se clavem semper Archivi, a quo nullum instrumentum extrahi permittat, nisi per breve tempus, relictaque memoria extrahentis, ad quem finem, & quo deferat illud; curet pariter, ut locus sit aptus, & mundus a pulvere, tineis, vermibus, & muribus, unde scripturas sæpius lacerari contingit, ac nimis antiquas, antequam penitus abeant, denuo a suis originalibus extrahat, vel illud medium adhibeat, quoad fidem publicam maneant semper cum viribus.

CAPUT XI.

De Procuratoribus Conventualibus.

1. In quolibet Conventu pro suis bonis temporalibus agendis, unus, vel plures Procuratores eligantur, juxta pondus, & multitudinem

rerum

rerum agendarum. Illum autem, vel eos poterit Commendator designare, qui magis ad artem fori, ejusque tractanda negotia sint habiles de consensu Capituli Conventualis ad quod private pertinet per suffragia viva vocis hujusmodi Procuratores instituire cum jure, & facultate ipsis ab eo concedenda pro libito: si vires unius fratris ponderi sufficiant nullo modo Commendator Procuratores multiplicet, neque pretextu procurationis fratrem aliquem audeat sublevare ab officio chori, & Altaris, aliisque Conventus oneribus, quo si secus fiat, Provincialis sua potestate coerceat.

2. Ab ejusdem Commendatore, & Capitulo, eodemque ritu constituitur Procurator Conventualis redemptionis, ad quem pertinet omnia Captivorum bona intra terminos sui Conventus, vel undequaque ad eum spectantia sollicite procurare, & exigere, cuicumque autem ex dictis Procuratoribus instrumentum Procuracionis authenticum respective tribuatur a Conventu, cum ea facultate, quæ pro opportunitate visa fuerit expedire. Illis vero enixe præcipimus sub pœna gravioris culpæ, ut nulla se ratione distendant in aliorum negotia extra Ordinem procuranda. Quod si alia Domus nostra ejus procuracione specialiter indigeat, eam nunquam assumat, nisi de licentia Provincialis, ab eoque antea perpensis suæ primariæ obligationis oneribus, ne extra illam nimis ad alia dispersus suæ obedientiæ, & domui non sufficiat.

3. Procuratores autem dum fuerint in actuali exercitio sui muneris, non teneantur officio hebdomadæ, aut Altaris, & unam pro se Missam, præter a Constitutione assignatam universis Presbyteris, celebrare poterunt in singulis septimanis.

CAPUT XII.

De Capitulis Conventualibus.

1. Plura quidem in Conventibus eveniunt quæ, vel de jure, aut consuetudine, & prudentia, non nisi Capitulariter ordinantur, & sunt; unde receptiones ad habitum, & professionem, & Ordines etiam majores, aut minores suscipiendos, electiones Depositariorum, vel si quæ sint aliæ nominationes, gravioraque negotia, quæ vel ex se postulant, aut consueverint fieri per suffragia secreta, semper decernantur in Capitulo Conventuali, in quo tantum vocem habeant sacris initiati. Contractus autem, & negotia, vel dubia, quæ pertinent ad bona temporalia, ut emptiones, vel admissiones hereditatum, aut censuum, nominationes Procuratorum, & alia, actiones similes in eodem Capitulo Conventuali decernantur per suffragia viva vocis ab omnibus Conventualibus, & Professis ejusdem Domus, & sensus majoris partis Capituli prævalebit. Procurator redemptionis Conventus in hoc etiam Capitulo, ab omnibusque Conventualibus nominatur.

2. Nullum negotium ad bona temporalia Conventus, vel ad Ordinem pertinens, quodque in Capitulo proponere sit necesse, eadem die qua proponitur resolvatur, sed in diem sequentem, aut alium differatur resolvendum, & illud inter se versandi, & maturius decernendi locum habeant fratres, ne aliquando resolutio, & consilium extemporaneum, & nimis propere datum Ordini, vel Conventui damnum aliquod inferat. Quo circa præcipimus Commendatoribus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna privationis officiorum, ne unquam huic Constitutioni adversentur, neque arte aliqua, tempus eligant importunum pro hujusmodi Capitulis habendis, sed semper eos congregent illis diebus, & horis, quibus fratres regulariter consueverint adesse conventui, & sanior pars, & Patres a consilio non absint.

3. Sub prædictis pœnis eisdem Commendatoribus constituitur, ne supplicationes, aut petitiones, quæ pro rebus suarum Domorum exhibendæ sint Superioribus propriis nominibus Conventualium subscriptæ subscribere faciant; nisi prius lectæ fuerint in pleno Capitulo, & in eo publice ab omnibus subscribantur singulis proprium sensum affirmativum, vel negativum declarantibus, Quibus etiam sub pœna gravis culpæ præcipimus, ne aliter prædictas petitiones nomine proprio subscribant.

CAPUT XIII.

De Patribus a Consilio.

1. Quædam modica frequenter oriuntur in Ordine quæ Prælati potest sine consensu aliorum expedire: quædam vero sunt adeo magna, ut nullo modo debeant sine consilio totius Conventus peragi, nec resolvi: quædam tandem sunt media ad quæ tractanda, & exequenda sufficit, vel forsitan etiam in gravibus expedit paucorum adhibere consilium, ne vel Conventus nimis gravetur Capitulis, & Prælati pro suo libito prædicta resolvens minus sapienter agat contra Salomonis eloquium.

2. De nimis arduis, & gravibus, quæ de jure, vel tunc exigunt assensum Capituli jam superiori capite constituitur. Nunc autem pro rebus mediis, atque etiam interdum difficilibus, quæ non expedit toti Conventui subicere specialem cæterum discretorum Patrum in singulis domibus totius Ordinis designamus, quorum suffragia, non quidem decisiva, sed tantum consultiva permittimus. Caveat tamen Prælati, ne sibi nimis fidenter adhaerens sanioris, vel majoris partis sensum quandoque despiciat.

3. Ad hunc cæterum constitui debent fratres, qui sint probatæ directionis, exercitati in agendis, amatores boni, in suo sensu non nimis abundantes, quique Dei spiritum habere credantur, quæ omnia cum in Patribus Provincia, Magistris, Præsentatis, Lectoribus Jubilatis, & qui fuerint Commendatores facilius inveniuntur ratione literaturæ, vel experti regiminis, omnes prædictos, modo sint Conventuales ad istum cæterum, & consilia designamus; ubi autem non fuerint tres de prædictis, Vicarius Conventus, Prædicator Conventualis, & Magister Novitiorum, vel Professorum, atque etiam quicumque senior, quadraginta annorum a professione, vel amplius vocandi sunt ad consilium cum quibus prædicta negotia, & potissime, quæ pertinent ad bona ipsius Domus debet tractare, & consulere Commendator, & præcipue res illas, quæ raro circa gubernationem Domus evenerint.

CAPUT XIV.

De Notariis Apostolicis a Prælati Ordinis eligendis.

1. Cum ex Constitutione Beati Pii V., & Julii III. Prælati regularibus sit concessum, ut unum, tres, quatuor, aut plures fratres in Notarios Apostolicos valeant instituere, tam pro toto Ordine, vel Provincia, quam pro domibus singulis, & cum omnimoda potestate, quæ de jure sit tradita huic muneri, propterea decernimus, ut primus Magister si velit pro toto Ordine, & Provincialis pro tota Provincia unum Fratrem illius sibi factis ad hoc probatum, & idoneum Notarium Apostolicum nominet, qui si opus fuerit mandata, Privilegia, Gratiæ, Concessionem, Indulta, & rescripta Apostolica quæcumque Ordini concessa, ejusque utilitatem quomodolibet concernentia cuicumque personæ rite notificare possit, atque alia cuncta, quæ de jure fidem publicam exigunt instrumentis authenticis consignare speciali signo, vel rubrica

roboratis, cum omnibus aliis, ad quæ in Constitutionibus prædictorum Pontificum facultas continetur indulta.

2. Commendatores autem pro suis Conventibus unum similiter de suis fratribus in hoc munere instituant, quoties in Conventu opus sit, aut designatus deficiat, qui omnia prædicta pariter possit agere ubicumque expedierit, & fidem publicam reddere, ut vere Notarius.

3. Forma autem illud instituendi, vocato namque fratre a Prælo coram Testibus sufficientibus, & idoneis, sive extraneis, sive ab Ordine assumptis recipiat ab eo Juramentum sub hac forma. *Ego Frater N. promitto, & juro Deo Omnipotenti, & Sanctiss. D. N. Papæ N., & tibi N. quod officium a te mihi traditum auctoritate & largitione Apostolica fideliter exercebo in omnibus & per omnia, sic me Deus adjuvet, & hæc sua sancta Evangelia.*

4. Præstito juramento tradit illi calamum cum atramentario dicens. *Accipe potestatem noviscandi, & intimandi (in toto Ordine) vel (in ista Provincia) quibuscumque personis, etiam regibus mandata, indulta, & privilegia Apostolica, necnon quæcumque alia in Bulla sel. rec. B. Pii Papæ V. contenta, faciendique publicos actus, & instrumenta, In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

5. Forma vero literarum quibus constare debeat talem fuisse in hoc munere constitutum hæc, vel alia similis esse potest: Pateat universis quod Nos Fratres N. Provincialis, aut Commendator ex Auctoritate SSmi D. N. Pii PP. V. per suas literas datas Romæ apud Sanctum Petrum die 21. Martii anni 1571. quæ incipiunt, *Debitum Pastoralis officii*, creavimus, constituimus, & deputavimus in Notarium dilectum nobis in Christo P. F. N. Ordinis nostri Beatissimæ Virginis Mariæ de Mercede Professum, & hujus nostræ Provinciæ N. Filium, vel Conventualem hujus Conventus N. virum moribus præstantem, & fide, & virtute commendabilem ad intimanda, & notificanda quæcumque indulta &c., & faciendi quæcumque instrumenta &c. recepto prius ab eo coram nobis genuflexo Juramento fidelitatis ad sacra Dei Evangelia coram Testibus infrascriptis, Datum &c. In quorum fidem &c., & postea subscribat ipse Provincialis instituens cum Testibus vocatis, quæ omnia referendabit, & signabit Secretarius ejusdem, vel Commendator instituens.

CAPUT XV.

De Magistro Novitiorum.

1. Magistrum Novitiorum non pro universis Domibus constituimus, sed illis tantum quas Diffinitorium Provinciale in Capitulo designaverit, in quo pariter pro munere præfato viros ab eo non dispares eligendos esse decernimus, juxta ea, quæ Dist. 7. Cap. constituimus. Novitiatum enim sunt plantationes Ordinis, ubi virgulta, & furculi sine cultura silvescant, studiose vero irrigata, & effusa surgunt virtute frugifera.

2. Hinc ergo Magister Novitiorum debet semper eligi, qui sit in virtute probatus, in observantia sedulus, in doctrina sufficiens, in docendo patiens, & assiduus, in corrigendo suavis, & mitis non pro genio, & indole durus, nec tamen qui exardescere nesciat, sed qui in opportunitatibus non frangatur, nec auctoritate vilescat.

3. In hoc autem officio quæant desiderio possumus graviore Ordinis fratres, & virtute, & prudentia, & literis præstantiores semper adhiberi concupiscimus, quibus in Christi visceribus suademus, ut ad illud quandoque vocati nulla causa detrectent, sed culturam excipiant tot meritis, & frugibus Domino placituram.

4. Quæ autem ad Magistrum Novitiorum sic

exoptatum attineant circa executionem sui muneris jam superius Dist. 4. Cap. 5. de instructione Novitiorum satis superque sancivimus; illum tamen ita liberum in sua potestate relinquimus, ut quantum ad regimen Novitiorum, & eorum correctiones propter defectus, tam intra, quam extra novitiatum commissos solus ipse sit arbiter, tantumque Prælati, & Commendatori subiaceat: Professos etiam ita omnino ipsi subijcimus, ut Vicarius Conventus solum extra Novitiatum possit eos aliquando corripere, cum videlicet ad publicam emendationem expedierit, defectu prædicti Magistri. In reliquis correctiones eorum semper ipsi relinquar, si Magister Novitiorum infirmari, aut abesse ad tempus eveniat ipse Commendator fratrem idoneum cum eadem potestate substituat.

5. Ut autem hujus oneris, gravissimique plane muneris pondus dignis compensationibus sublevetur, quibus & potentis humerus alliciatur ad illud præsentis Constitutione decernimus, ut quicumque non graduatus per duodecim annos continuos in præfixis Domibus Novitiorum a Diffinitorio Capitulo, vel Provinciali præfectus, cum approbatione, & laudabiliter hoc fuerit functus officio, maneat exemptus perpetuo ab hebdomada, aliisque officiis, & Ministeriis penalibus communitatis, & tabulæ officiorum, & dum actu est in munere eadem exceptione gaudeat, & ultra unam missam, quam pro se concedimus universis fratribus in hebdomada alias duas suæ intentioni liberas indulgemus. Quantum vero ad victum, sic illum tractari præcipimus sicut Magistros de numero, prout in qualibet Provincia fuerit consuetum.

6. In reliquis autem Provinciæ Domibus, ubi Novitiatum non existat, si fratres professos, quos Clericos, & non Presbyteros nuncupamus adesse contigerit semper in alio loco speciali, & a reliquorum convictu separato receptos contineri præcipimus sub cura tamen, & directione unius provedi, probique fratris qui sit, & dicatur Magister Professorum, qui eos essentialia Ordinis doceat, & instituta, bonosque mores in Novitiatibus tradita nunquam ab eis excedere permittat, quinimo ad illa, objurgando, & puniendo promoveat.

CAPUT XVI.

De Examinatoribus Conventus.

1. In singulis Conventibus Provinciæ, in quibus Provincialis expedire judicaverit duos Examinatores instituat, quorum censura primo, & præcipue subijcimus omnes qui accedant ad suscipiendum habitum, & eos probent circa sufficientiam in literis, & capacitate ad illas, quibus examinatis debent omnino fideliter referre Capitulo Conventus, quid de illis sentiant circa meritum, qua super re servare studeant, quæ superius dist. 4. Cap. 1., & 6. stabilivimus de prædictis.

2. Similiter ad eos pertinet examinare Fratres ordinandos, & eos, qui ad studia literarum mittendi sunt, ac de ipsorum sufficientia Provinciali, ac Capitulo Conventus respectively suum iudicium ex æquo detegere; quo circa ipsius conscientias oneramus, ne Fratrem aliquem immature ad Philosophiam, seu Theologiam approbent, & præcipue ad Sacros Ordines suscipiendos, ne vel in studio perdant operam, vel in ministrando Altari stultum exhibeant Domino ministerium. Si quos autem in aliis examinandos susceperint sibi a Provinciali commissos, semper cum æquitate procedant ne in eos Deus damna retorqueat, quæ ex eorum approbatione deventerint.

CAPUT XVII.

De Zelatore, Conventus.

1. Cum in Ordine statutis temporibus silentium observari debeat, & pro eo, aliisque Zelandis unum Fratrem adhiberi oporteat, quem Zelatorem; aut Circatorem dicimus; idcirco de cetero constituimus, ut munus istud semper exerceat Vicarius Conventus, qui sub tacitis horis, quibus silere constringimur semel, aut pluries totam Domum, ejusque officinas, & loca intra clausuram perambulet, & si alicubi Fratrem, vel Fratres invenerit, qui contra Religionem, vel debitam honestatem regulæ aliquid locuti fuerint, vel fecerint auctoritatem habeat eos corripiendi, secundum facultatem a Prælato susceptam: quod si apud aliquos, dissolutiones Commendatori non silentas agnovèrit, eas illi suo tempore deferat, vel gravius ipse corrigat, & emendet, ita scilicet, ut semper totus Conventus in debita tranquillitate, & quiete temporibus silendi permaneat.

2. Nec per hoc intendimus Commendatorem ex præfato zelandi munere sublevare, imo de novo illi præcipimus, ut tam circa custodiam domus, & clausuræ, quam circa quietem, & tranquillitatem illius semper, ut verus Pastor, & excubiator invigilet.

CAPUT XVIII.

De Fratribus iter agentibus, & Hospitibus.

1. Dum Fratres nostros urgeat itinerandi necessitas, nullus viam inficiat, nisi de licentia Prælati Superioris, vel Commendatoris respective juxta ordinata superius Distinct. præcedenti Cap. 22., qui vero secus audeat puniatur juxta ea proxime dicenda, & alibi jam præmissa.

2. Omnes Fratres Viatores Ordinis nostri secum perpetuo ferant in scriptis prædictam licentiam sui Prælati, vel literas testimoniales, quas ubique ostendere valeant. Si autem eas non ferant, nec Epistolam commendatitiam, aut alia instrumenta non exhibeant, neque aliunde non esse fugitivos, aut Apostatas innotescat, detineantur a Prælato in custodia, vel carcere, donec rei veritas pateat, & tunc cum ipsis agatur secundum qualitatem delicti, & juxta superius dicta de Apostatis, & fugitivis.

3. Omnes Fratres, cum sint in via semper Divinum Officium recitent. Sacerdotes autem si opportune liceat nunquam rem Sacram facere prætermittant, nullus quoque dies eos sine Oratione prætervolet, quam bis habere debent juxta Constitutionem nostram; etiam in via constituti. Si plures simul incedant semper digniori in omnibus deferant, & obediant, & modestiam ubique interius, exteriusque præferant, non utantur nisi vestibus omnino albis, & prout superius Dist. 4. cap. 10. de vestitu præcipitur.

4. Fratres Viatores uti poterunt æquitaturis, non profane, sed modeste stratis, quas omnino interdiximus Fratribus non viatoribus ejusdemque qualitatis, aut dignitatis extiterint, ita videlicet, ut ad egrediendum domo, & incedendum intra loca ubi sunt Conventus nulli sit licitum quodcumque genus equitaturæ quomodolibet per se, vel alium ubicumque habere, neque in illa equitare quocumque prætextu, vel causa, sub pœna privationis utriusque vocis, & inhabilitatis ad officia, super quo taxatur potestas Magistro, aliisque Prælati universis, ut non nisi Fratribus ad negotia Ordinis, & magni ponderis destinatis indulgere valeant, in eoque tantum loco ubi propter ejus magnitudinem, & alia incommoda ingressus ita expedire judicaverit.

5. Propterea nullus audeat ingredi curiam regiam, nisi immediate post duodecim horas Commendatori Conventus nostri se præsentaverit.

Quod si secus fecerit a Commendatore in carcerem injiciatur donec a Provinciali veniam recipiat.

6. Si quis itinerando stationem facturus sit in loco ubi est Conventus Ordinis, semper ad illum accedat, & præstet Commendatori obedientiam. Quod, ut nemo facere prætermittat, & virtus hospitalitatis ubique in Ordine fulgeat Commendator Commendatorem supervenientem cum honore suscipiat, & universis Ordinis viatoribus juxta qualitatem personæ omnia officia charitatis impendat, & maxime ad pernoctandum inviolabiliter retineat, & cogat quamdiu moram fecerit in loco sui Conventus. Et licet Fratres aliorum Ordinum quasi nobiscum vinculo veræ fraternitatis adstrictos non dissimili hospitalitate suscipiamus, Fratres tamen Ordinum S. Dominici, & S. Francisci, quos cum nostro uno quasi festu parturivit Ecclesia, & ex hoc ad invicem arctiori fraternitate copulamur; specialibus etiam charitatis officiis, juxta Constitutionem pristinam in domos nostras inducimus, & omni studio, & hilaritate refoveri præcipimus.

7. Fratres nostri hospites sine licentia Commendatoris domus in qua sunt, nihil agant, neque ab ea egrediantur, sed illi deferant in omnibus obedientiam, etiam in correctionibus, si expedit. Rursus per tres dies eos Commendator in hospio recreari faciat, quibus si ea in domo diutius immorari necesse sit Refectorium cum cæteris adeant, & utantur consueta refectioe Conventus.

8. Nullus Frater viam prosequutus discedat a Monasterio, ubi stationem fecerit, nisi prius a Prælato obedientiam accipiat. Deinde coram ipso (si libeat) vel alio Sacerdote prostratus dicat *Psalm.*

Levavi oculos meos in monte, unde veniet auxilium mihi.

Auxilium meum a Domino, qui fecit cælum, & terram.

Non det in commotionem pedem tuum, neque dormitet, qui custodit te.

Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.

Dominus custodit te, Dominus protectio tua: super manum dexteram tuam.

Per diem sol non uret te, neque luna per noctem.

Dominus custodit te ab omni malo; custodiat animam tuam Dominus.

Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum: ex hoc nunc, & usque in sæculum.

Gloria Patri &c.

Kyrie eleison,

Christe eleison,

Kyrie eleison,

Pater noster &c.

¶. Et ne nos inducas in tentationem,

¶. Sed libera nos a malo,

¶. Salvum fac &c.

¶. Dominus vobiscum &c.

O R E M U S.

Adesto Domine supplicationibus nostris, & viam famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone; ut inter omnes viæ, & vitæ hujus varietates tuo semper protegantur auxilio. Per Christum &c.

Et aspergatur aqua benedicta.

9. Quotidie autem dum viam aggreditur dicat: *In viam pacis, Et Benedictus Dominus Deus Israel &c.* ut in Breviario Romano. Cum vero ad propriam domum redierit, vel in via ad aliquam ex Ordine declinaverit, dicat in ipso ingressu: Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea. Et statim se conferat ad Prælaturam pro benedictione suscipienda ipsi dicendo; *Benedicite.* Deinde coram aliquo Sacerdote dicat *Psalmum.*

Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cælis.

Ecce

Ecce sicut oculi fervorum in manibus dominorum suorum.

Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum donec misereatur nostri.

Miserere nostri Domine, miserere nostri: quia multum repleti sumus despectione.

Quia multum repleta est anima nostra: opprobrium abundantibus, & despectio superbis.

Gloria Patri &c.

℣. Kyrie eleison,

℣. Christe eleison,

℣. Kyrie eleison.

℣. Pater noster &c.

O R E M U S.

Miserere quæsumus Domine huic famulo tuo, & quidquid in via ei surripuit sensus, totum ineffabili clementia deleas. Per Christum &c.

10. Quando vero Prælati, seu Visitatoriam incipiat, vel ab illa regrediatur eisdem Psalmis, & orationibus dimitendus, & suscipiendus sit. Quod si Magister Ordinis, vel Provincialis de via veniat, & primum accessum faciat ad aliquam Domum Ordinis, tunc eo jam proferente Campana Ecclesiæ convocandi sunt Fratres ad fores ejus in duos Choros divisi cum Sacerdote pluviali albo induto, & parvam Crucem gestante, quos præbunt Crux magna Conventus cum Ceroferariis, & sic omnes suscepto Magistro, vel Provinciali intrabunt Ecclesiam cantantes, *Te Deum*, in cujus ingressu Sacerdos prædictam Crucem parvam illi genuflexo adorandam offert.

11. Inde proceditur ad Capellam majorem, ibique Magister, vel Provincialis genuflexus orabit paulisper, dum Hymnus *Te Deum* canitur, quo finito Sacerdos stans in Altari dicit.

℣. Salvum fac servum tuum Domine.

℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Mitte ei Domine auxilium de Sancto.

℟. Et de Sion tuere eum.

℣. Nihil proficiat inimicus in eo.

℟. Et Filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Ora pro nobis Sancta Dei genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

O R E M U S.

Omnipotens sempiternus Deus, qui facis mirabilia magna solus prætende super famulum tuum N., & Congregationes illi commissas spiritum gratiæ salutaris, & ut in veritate tibi complaceat, perpetuum ei rorem tuæ benedictionis infunde.

Protege Domine famulum tuum subsidiis pacis, & Beatæ Mariæ semper Virginis patrocinii confidentem a cunctis hostibus, & periculis redde securum. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

12. Absolutis Orationibus, omnes Fratres se prosternunt Magistro, seu Provinciali genuflexo manente, super quem Sacerdos facit benedictionem itinerantium incipiens Psalmum. *Ad te levavi &c.* cum *Gloria Patri &c.*, quem recitat alternative Conventus; deinde additur: *Kyrie eleison &c.*, & *Pater noster &c.* *Et ne nos inducas &c.* ℣. *Deus meus &c.* *Dominus vobiscum:* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

O R E M U S.

Miserere quæsumus Domine huic famulo tuo, & quod in via surripuit visus, vel auditus malæ rei, aut otiosi sermonis torum ineffabili pietate deleas, & abstergas. Per Christum &c. Amen.

13. His peractis surgat Magister, vel Pro-

vincialis cum Fratribus, & incipiat Psalmum: *De profundis &c.* cum *Requiem æternam &c.* *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.* Deinde dicat: *Pater noster.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. A porta inferi.

℟. Erue Domine animas eorum.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

O R E M U S.

Deus veniæ &c. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Requiescant in pace: Amen.

14. His ergo conclusis sit Cella præparata, in qua sedeat Magister, vel Provincialis, atque omnibus Fratribus ad obedientiam susceptis, eisque data pace surgit, & ingreditur Monasterium sociatus ab eisdem Fratribus usque in Cellam suam.

C A P U T XIX.

De Ordine sedendi, & honore Fratrum ad invicem.

1. Magister Generalis, & quicumque illi successerit in officio primum, & præcipuum locum obtineat in toto Ordine, sicut & Provincialis, ejusque Vicarius in tota Provincia, & Commendatores in suis Conventibus: Vicarius autem Generalis in Provincia aliqua, seu Provincia designatus primum similiter locum habeat in illa, seu illis, & Provincialibus præferatur, quod etiam intelligitur de Visitatore Generali respectively in ea Domo, quam actu visitat a principio usque ad finem visitationis ejus. Eadem ratione Visitator Provincialis præferatur Commendatori, & obtinet locum sui principalis in ea tantum Domo, quam visitat, & tempore visitationis dumtaxat Præsides in capite, sicut ipsi Commendatores toti Conventui in prima Sede præsideant. Præsides vero interim teneant locum Vicarii, nisi aliunde digniorem possideant; quod si tempore sui gubernii Vicarius permaneat in officio sint immediate ante ipsum.

2. Post Commendatorem sedeant Generales absoluti inter quos præcedat semper, qui sit in munere antiquior, rursus immediate sequantur omnes Exprovinciales cum eodem inter eos Ordine prioritatis officii, quamvis aliquis eorum aliud munus possideat. Exprovincialibus autem proxime adhaereant, qui fuerint Vicarii Generales totius Ordinis, & Procuratores Generales ejusdem in Romana Curia secundum conditiones in propriis locis declaratas, & servato inter ipsos Ordine temporis a quo fuerint jus adepti ad honores Exprovincialium; quod si ad eos non deveniant, ut suo loco prædicitur maneat inter Magistros de numero, cum optione antiquitatis inter illos a die (ut etiam permittitur est) quo jus ad Magisterium assecuti fuerint, modo tamen impleverint annos lecturæ pro illo, secus autem inter Magistros de numero sint semper, & ubique novissimi.

3. Præterea post Exprovinciales, & omnes eos prædictos, qui jure Constitutionis simili honore gaudent Socios actuales Magistri sedere præcipimus, & inter eos sit ea præcedentia, qua secluso munere gauderent. His autem accedunt omnes duodecim Magistri, quos vocamus de justitia, vel numero, & qui juxta Constitutiones nostras cum integro lecturæ merito ab Ordine sunt suscepti. Inter eos etiam antiquitas, & prioritatis gradus ubique respicitur, quæ semper in omnibus graduatis ad se invicem in sui genere comparatis attenditur a die confirmationis gradus a Magistro; unde jus ad illum, & consequenter ad præcedentiam acquiritur. Ubiunque vero Magistri fuerint æquales in confirmatione prædicta, respicienda erit antiquitas pro-

fessionis.

fectionis. Si quis autem Præsentatus de Cathedra ex speciali gratia Sedis Apostolicæ ab Ordine suscepta Magisterium obtineat, sedeat immediate post omnes Magistros de iustitia, & numero, qui sunt, & pro tempore fuerint.

4. Post Magistros vero præfatos, reliqui quos hic nominabimus sedeat cum hoc ordine literæ, videlicet: Vicarius Conventus, Præsentati de Lectura, Magistri de gratia, Præsentati de Pulpito, Lectores Jubilati, Præsentati de gratia, & denique Procuratores Generales redemptionis, & Provinciæ, si non fuerint graduati, dum tamen omnes vocem habeant in Capitulo. Qui autem de illis graduatus fuerit, sedeat in ordine sui gradus: juxta qualitatem, & antiquitatem illius nullo habito respectu ad procuraciones prædictas.

5. Circa reliqua officia, quæ diversis personis accidunt sic ea distribuimus: Diffinitores Generales ex suo genere sunt Electoribus priores, & utriusque Diffinitoribus Provinciæ. Cum autem hæc officia in personis Superioris dignitatis extiterint, ut in Patribus Provinciæ, & reliquis adhuc Ordinem pertinentibus, non propterea locum inter se mutare debent, sed semper servare sibi debitum Exprovincialatu, aut alio munere peracto. Infra eos autem usque ad Lectores jubilatos inclusive quicumque prædicta officia subierit ratione illorum omnibus sui generis gradus, & qualitatis antefertur: videlicet si unus Socius Magistri factus Diffinitor Ordinis, aut Provinciæ, sive Generalis Elector ex hoc ipso sit altero Socio prior. Magister vero de numero superet omnes similes, & Magister de gratia ex præsentatura de Cathedra electus, eos tantum, qui forsitan de hoc Ordine fuerint, sicut etiam Magister de gratia eos dumtaxat qui fuerint qualitatis hujusmodi. Præsentatus autem de Cathedra omnes Præsentatos de Cathedra, & Vicarium Conventus, Præsentatus de Pulpito, omnes ejusdem generis, & Lector jubilatus jubilatos omnes. Infra istos autem si quis fiat Diffinitor, aut Elector Generalis, sive Diffinitor Provinciæ post prædictos jubilatos immediate locum habeat, nec ipsi quomodolibet liceat ratione prædictorum officiorum ad Sedem, & Ordinem superius nominatorum ascendere. Quod si duo intra eundem Ordinem in definitione, aut electione fuerint pares, tunc præcedat, qui alterum aliquo sine dictis officiis antefert.

6. De Socio autem, & Secretario cujuslibet Vicarii Generalis, tam totius Ordinis, quam Provinciarum, aut alicujus Provinciæ statuimus, quod si fuerint graduati præsideant omnibus Magistris de numero, & sint ex Provincialibus, & eorum iuribus a Constitutione faventibus immediate, modo non concurrant cum Sociis Magistris, quibus eos ubique reddimus inferiores. Si vero graduati non fuerint, omnibus Præsentatis de numero præferantur toto tempore, quo permaneant in munere, & solum in Provinciis ubi illud exerceant. Secretarius autem Provinciæ, si non fuerit graduatus sedeat proxime post Procuratores Generales Ordinis, & Provinciæ vocem in Capitulo Provinciali habentibus. Graduatus vero locum in suo Ordine præhabitum non prætereat.

7. Patres graduati, aut aliquo munere affecti aliarum Provinciarum, ubicumque de licentia Superioris extiterint semper sint postremi inter graduatos sui Ordinis, aut dignitatis, & officii.

8. Tandem post omnes superius suo ordine relatos; sequuntur alii Fratres Conventuales secundum antiquitatem professionis, dum tamen ordinati præcedant non ordinatos, & Clerici tam Professi, quam Novitii omnes Laicos Fratres. Si vero contigerit Lectorem aliquem non esse

Presbyterum, locum obtineat Presbyteris immediatum.

9. Hæc ita sint extra Capitulum, tempore vero Capituli in omnibus actibus electionum, & Diffinitorii hic Ordo servetur. Quod si fuerit Capitulum Provinciale primi semper affideant Præfidi Provincialis electus, & absolutus a dexteris, & a sinistris illius, & post eos eadem forma Diffinitores Provinciæ, qui tamen in aliis actibus Conventualibus toto tempore Capituli semper sedeat omnes simul in Choro sinistro post ipsum Provinciale electum, cum quo personam totius Provinciæ ita in his actibus gerant. Prior Barchinonensis intra Provinciam Aragoniæ si fuerit Magister, omnes alios Magistros, si autem Præsentatus omnes ejusmodi gradus antecellat.

10. In Capitulo generali primus semper sedeat Magister, sive Præses ante electionem quomodolibet constitutus, ea vero peracta præsideat Magister electus si fuerit præsens, alioquin autem Præses, qui incepit continuabit præsidetiam, & locum. Præsidente vero Generali electo sequitur post ipsum Generalis absolutus, vel quicumque alius, qui Præses Electionis præxiterit. Huic autem succedunt suo Ordine reliqui Generales absoluti si sint in Ordine, & hujusmodi Capitulo interfint.

11. Post illos autem constituimus Provinciales, aut Vicarios Provinciales, juxta suarum Provinciarum antiquitates, & Ordinem. Deinde sedeat Prior Barchinonensis si præsidere non contingat. Postea Procurator Generalis in Urbe, quem sequantur Diffinitores Generales secundum antiquitatem Provinciarum, & postremo eodem Ordine Electores Generales.

12. Denique super hujusmodi declaramus: quod quoties in his Constitutionibus jus, actio, vel res aliqua relinquatur, aut defertur digniori de cæta, Communitate, aut Capitulo, vel etiam generaliter in designationibus unius præ alio semper intelligatur de illo, qui loco præcellit inter eos Fratres de quibus statuitur dignior.

13. Circa honorem fratrum ad invicem ipsis ipsis enixe consulimus, ut semper alterutri honoribus se præveniant. Quadragenarios autem in Ordine, qui per hanc integram, & non interruptam periodum jugum ejus laudabiliter tulerint a Maturinis media nocte dicendis, Prima, ac Epistola, & Evangelio decantandis, absolvimus, senibus insuper confectis, atque impeditis de sibi necessariis, & Socio, qui curam eorum gerat sic a Prælatis provideatur, ut cunctis ibique fiat veneranda canities.

14. De reliquis statuimus sub pœna gravis culpæ: ut nunquam sibi honores, aut comitates deferant more sæculi, sed ut per Salomonem præcipitur magnatis humilia caput tuum, & Presbytero animam tuam, ut non quasi ad oculum carnis immodicis deflexionibus idolum vanitatis colere videamus, sed quasi spirituales alter alteri ex animo vera mentis humilitate se subjiciat.

15. Sed ut in istis metam Fratribus statuamus, juxta qualitates personarum Ordinis, sic eas tractari præcipimus, ut soli Magistro, & ipso deficiente Vicario Generali totius Ordinis titulus Paternitatis Reverendissimæ deferatur. Expleto tamen officio nulli Vicario prædicto, sed tantum generali absoluto præfatum tituli honorem continuari permitimus. Provincialibus autem, & Vicariis Provincialibus, Sociisque Magistris actualibus, honorem Paternitatis Reverendæ concedimus. Exprovinciales vero, Vicarios Generales Ordinis absolutos, & eos, qui per duos annos Vicarii Provinciales extiterint, & Socios Magistris prædictos, qui per triennium hæc munera subierint, atque etiam Commissarios, & Visitatores, tam Generales, quam Provinciales dum sunt in actuali munere non dissimiliter reveremur. Vicarios vero Generales Provincia-

rum, tam actuales, quam absolutos hanc eandem reverentiam, & titulum habere decernimus.

16. Magistros insuper, & Præsentatos, atque etiam Lectores jubilatos, qui jam omnia merita pro Magistro adimpleverint Paternitatem habere concedimus. Item Commendatores, Diffinitores, & Electores Generales, Diffinitores Provinciae, ejusque Secretarios, & omnes Procuratores Generales, & Provinciales ejusdem tituli sunt quoad officia peregerint, etiam si illo aliunde non gaudeant. Reliquos vero Fratres quicumque sint, solo reverentiae nomine appellandos esse ordinamus. Caveant autem omnes sub pena gravis culpæ, ne hanc honoris diversitatem, & gradus indistincte permisceant, & confundant, sed unicuique quod suum fuerit, tribuant, cum discretione prædicta.

CAPUT FINALE.

Instructio ad Fratres circa omnia prædicta tam in Regula, quam in Constitutionibus ordinata.

1. Cum omnia, & singula, quæ in his Constitutionibus auctoritate, & facultate Apostolica, (ut initio præmissum est) ordinavimus, vel nova textura, expositione, aut omissionum additione in meliorem formam redeimus, ita mature, & consulto deliberata sint, ut nihil in illis inveniatur etiam levissimum, quod non fuerit ad severissimam lancem, & trutinam revocatum. Nulli propterea licitum debet esse quidquam pro suo libito mutare, addere, vel minuire, imo Diffinitoribus Generalibus omnino interdicitur, ut quæ auctoritate Apostolica confirmata, vel constituta fuerint, nulla ratione destituant, neque actis, deoretis, aut contrariis inchoationibus deleant, sed ista immota relinquant, ut malint tolerare, vel quomodolibet exponere quæ minus congrue ordinata pro tempore appareant, quam sæpius innovando textum, turpem instabilitatem committere.

2. Quod si propter vicissitudines temporum, rerumque mutationes aliqua innovari, seu mutari necesse sit, fiat semper sine deformatione hujusmodi compilationis, per modumque expositionis dispensatorie cum distinctione a Textu, & ad calcem capituli addita, servata semper integritate illius.

3. Sed, ut etiam in istis non latius pateat constituendi, & addendi, vel innovandi libertas antiquam Constitutionem, strictissime observari præcipimus, ut in præmissis nihil addatur, aut apponatur, modo etiam prædicto, nisi per tria Capitula Generalia continuo successiva fuerit approbatum, aut etiam per unum a Sede Apostolica confirmatum, sive sit per modum Constitutionis novæ, sive dispensationis, aut declarationis antiquæ. Quibus tamen conditionibus præmissis, & non aliter huic volumini, & ad calcem proprii Capituli cum distinctione a textu subjiciatur, & ita vim universalis, & rigorosæ Constitutionis obtineat.

4. Observantiam autem omnium prædictorum sic inviolatam intendimus, ut ne minima quidem pateant despectui ne paulatim in maximis decedamus, nec ita in modicis simplicibus statutis securitatem injungimus, ut majori obligatione occurrente minor observantia urgere nos audeat, cum detrimento potioris.

5. Quod ne contingat interdum legum incompatibilitas temperetur univærsis Prælatibus in ordine dispensatoriam concedimus facultatem, ut quoties prudenter, & rationabiliter expedire judicaverint hujusmodi observantias, fratribus indulgere valeant, & eas quidem præcipue quæ Divinum Officium, aut Captivorum redemptionem, vel præcisam, & communem Ordinis uti-

litatem impediunt, aut generaliter quando minor obligatio, & observantia cum minori complicata videatur. Ab hac tamen dispensatoria facultate excipimus ea, quæ jure communi, nostrarumve Constitutionum ipsis expresse prohibentur.

6. Fratribus autem expedit super omnia summo studio, perpendere, corrigere, & mensura, tam regula, quam Constitutiones præmissæ ad conscientie forum pertineant, nec videlicet transgressionis scrupulus eos in angustia constituat, vel inobservantia transeat in contemptum, & lapsus iterati ducant paulisper in foveam.

7. Et licet superius Dist. 3. Cap. 1. de obedientia jam super hoc regula sint præmissæ, eas tamen Fratribus non importune inculcavimus, ut in eorum cordibus defixæ permaneant, neque illarum oblivio vergat in conscientie periculum unde memores eos facimus, quod regula, & Constitutio, aut etiam Prælatorum verba, seu iusta nullatenus eos obligant ad culpam quæ Theologica dicitur, sed tantum ad penam nisi ubi addit præceptum formalis obedientie, vel contemptus Prælati, Constitutionis, aut regula, vel nisi in materia, quæ jam aliunde obligat ex voto, vel Præcepto.

8. Præceptum autem formalis obedientie, tunc debent intelligere fratres, cum Prælati, Regula, vel Constitutio præcipit in virtute obedientie, aut sub aliis verbis, pœnis, & execrationibus, quæ affectum, & intentionem obligandi significant modo ibidem præfixo. Quomodo autem Prælati non nisi materia gravi illis uti debeant, & quæ sit illa jam similiter in eodem loco exposuimus.

9. Circa pœnas vero, quas interdum Constitutionibus adjicimus quando, & quemadmodum incurrantur, similiter in Dist. 15. Cap. 1. de pœnis in genere regulam prælibavimus, quam semper fratres habere præ oculis omni studio consulimus, ne per negligentiam, aut errorem se innoxios aliquando reputent, vel per livorem alios innodatos existiment. Quicumque autem præmissam regulam, & Constitutiones sequuti fuerint pax super illos, & misericordia, & super Israel Dei. Amen.

Actum, & Sessionum Diffinitorii Generalis finis factus est in Dei Salvatoris nostri, ejusque Sanctissimæ Genitricis Gloriam, & honorem die 30. Novembris anno 1688.

Fr. Josephus Linas Magister Generalis. Fr. Petrus Garcia Castellæ Provincialis. Fr. Michael Marcis Exprovincialis, & Diffinitor Generalis Castellæ. Fr. Marcus de Ostos Exprovincialis, ac Diffinitor Generalis Vandalia. Fr. Josephus Brizeno Exprovincialis Chilenis. Fr. Damianus Stephanus Diffinitor Generalis Valentia. Fr. Michael de Ulare Præsentatus, hujusque Generalis Diffinitorii Secretarius.

Cum suo Originali, quod in Generalium Capitulorum libro manet exaratum recte coheret: in cujus rei testimonium me totius Ordinis Generalem Secretarium subscripsi. Fr. Joannes Navarra Magister Diffinitor, & Secretarius Generalis.

§. 2. Quare præfatus Martinus Salvator Procurator Generalis Nobis humiliter supplicari fecit, ut Constitutiones hujusmodi Apostolicæ confirmationis patrocinio communire de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur ipsius Martini Salvatoris Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliique Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum

harum

Dies absolute
Compila-
tionis.Subscriptio-
nes.AttestatioSe-
cretarii.Preces Pro-
curatoris Ge-
neralis.

Confirmatio
relate Com-
pilationis.

harum serie absolventes, & absolutum fore cententes, hujusmodi supplicationibus inclinati omnes, & singulas Constitutiones præinfertas, & in eis contenta quæcumque, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolica firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti, ac solemnitatum quarumcumque in similibus etiam de necessitate observandarum, aliove quolibet etiam formales, & substantiales defectus si qui in præmissis principaliter, vel accessorie, aut alias quovis modo intervenierint, seu intervenisse dici, censei, vel prætendi possent, penitus, & omnino supplemus, & sanamus.

Clausulæ.

§. 4. Decernentes easdem præsentis literas, ac Constitutiones præinfertas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliove quolibet quacumque præminencia, & potestate fungentes, & sancturos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dicti Ordinis, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis etiam Ordini prædicto, illiusque Superioribus, Fratribus, & personis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, & Decretis in genere, vel in specie, seu alias quomodolibet in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, ac pluries confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si illorum totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio, habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, exprimerentur, vel inferrentur, iisdem præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes ad effectum præsentium, illis alias in suo robore permanentibus, harum serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Anno Pisc. die VII. Dec. MDCXCI. Pontificatus nostri Anno Primo.

VII.

Confirmantur quedam Decreta Fratrum Eremitarum S. Augustini Provinciae Bæticæ circa institutionem novorum Magistrorum.

Constitutio hic laudata, quo auctus fuit numerus Magistrorum extat Const. ed. 1690. Jun. 21. Pont. 1. Similes Constitutiones habentur Constit. ed. 1690. Jul. 31. Pont. 1. pro Provincia Quiven. Et Const. ed. 1692. Sept. 28. Pont. 3. pro Provincia Mexicana.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Provinciae Bæticæ Ord. Fratrum Eremitarum S. Augustini quod cum alias fel. rec. Alex. Papa VIII. prædec. noster per quasdam suas in simili forma Brevis literas die 21. Jan. 1690. expeditas indulerit, ut de cætero senarius dictæ Provincia Magistrorum numerus ad duodenarium sub certis modo, & forma tunc expressis augetur, Capitulum Provinciale Provinciae supra dictæ novissime, videlicet anno 1691. habitum majori ipsius Provinciae bono, & decori unice intentum, ac ut incommodis, quæ exinde alias in tranquillitatis ejusdem Provinciae perturbacionem oriri potuissent, occurreret, conditiones, seu leges quasdam in Magistrorum hujusmodi institutione servandas proposuit per suum Decretum desuper emanatum tenoris, qui sequitur videlicet.

§. 1. Cum felicitis recordationis SS. Domini Nostri Alexandri Divina Providentia PP. VIII. Breve datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 21. Mensis Januarii anno proxime præteriti 1690. Sic incipiens: Ex injuncto Nobis &c. in Archivo Provinciae asservatum, Diffinitorio constitit, & attente cognitum fuerit, in quo prædicti Domini Nostri benignitas huic Bæticæ Provinciae fovere cupiens illi concedit Magisteriorum numerum senarium præter aliorum sex numerum, quo Provincia hæc pluries abhinc annis fruebatur; quod cum inspectum diligenter fuerit, & a PP. Diffinitorii diligentia maxima revisum, prædicti PP. decrevere dictam magisteriorum gratiam debere admitti, & acceptandam esse, sicuti de facto accipit, & admittit, his tamen servandis conditionibus: Quod prædicta magisteria sunt taliter distribuenda, ut semper partialitas Provinciae ex his sex magisteriis, quatuor obtineat, unum partialitas Hispanensis, Estremaduræ autem partialitas restans aliud. Et ut distributio hæc toto fiat Justitiæ rigore, & subjectis dignioribus prædicta magisteria conferantur, decrevit Diffinitorium, cui inest subjectorum clara notitia ad dicta magisteria numeralia, & ad sex alia, quibus potiebatur antea Provincia, non admittendos esse PP. quos non expresse, & specialiter ad magisterium numeri Diffinitorium postulaverit. Ad quem gradum nullus postulabit à Provincia, qui duodecim annorum completorum spatio publicis Philosophiæ, & Theologiæ Professor intra limites Provinciae non steterit, sexque generalium actuum Præsidentis agnoscat, ex quibus conclusionum actibus, adminus quinque Sacræ Theologiæ esse debent. Et ne dispensationes, quas ut obtineant prædicta magisteria PP. solent acquirere emeritorum jus enervantes sortiantur effectum, decernit Diffinitorium P. Reverendissimo supplicationem esse faciendam à quacumque, quam Sua Reverendissima circa hoc expedierit, dispensatione; ne qui prædictum Lectoratus tempus impleverint, dignioresque inveniantur, Junioribus, qui tempus non expleverint postponantur, ex quo solent quamplurima damna nasci, plurimæque seditiones oriri: statuit idem Diffinitorium prædictam postulationem ad numeri Magisteria nullatenus efficiendam, quousque aliquod ex prædictis vacaverit Magisterium, quæ tamen postulatio a Diffinitorio plena faciendâ est, & pro

Dat. 2. Febr.
1692. An. 1.Numerus
Magistrorum
auctus fuit ab
Alex. VIII.Causa Decre-
torum.Decretum
Capituli Pro-
vincialis.